

DE PATRVM
ET MEDII Aevi SCRIPTORVM
CODICIBVS

IN BIBLIOTHECA PETRARCAE

OLIM COLLECTIS

THESIM FACULTATI LITTERARVM

PARISIENSI PROPONEBAT

PETRVS DE NOLHAC

PARISIIS

VENVMDATVR APVD AEMILIVM BOVILLON

MDCCLXXXVII

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto



**DE PATRVM
ET MEDII Aevi SCRIPTORVM
CODICIBVS
IN BIBLIOTHECA PETRARCAE**



DE PATRVM
ET MEDII AEVI SCRIPTORVM
CODICIBVS

IN BIBLIOTHECA PETRARCAE

OLIM COLLECTIS

DISSEREBAT

PETRVS DE NOLHAC

PARISIIS

VENVMDATVR APVD AEMILIVM BOVILLON

MDCCCLXXXII



JUN 16 1933

EIVSDEM SCRIPTORIS
OPUSCULA HAUD VENDIBILIA ATQVE EX PERIODICIS
SEORSVM EXPRESSA
6582


- Les peintures des manuscrits de Virgile. Rome, 1884, 8°.
Le Vaticanus 90 de Lucien. Paris, 1884, 8°.
Boccace et Tacite. Rome, 1892, 8°.
Fac-similés de l'écriture de Pétrarque. Rome, 1887, 8°.
Les études grecques de Pétrarque. Paris, 1888, 8°.
Manuscrits à miniatures de la bibliothèque de Pétrarque. Paris, 1889, 4°.
Une date nouvelle de la vie de Pétrarque. Toulouse, 1890, 8°.
Petites notes sur l'art italien (*Signorelli, Raphaël, Titien, etc.*). Paris, 1887, 8°.
Recherche sur un compagnon de Pomponius Laetus. Rome, 1886, 8°.
Giovanni Lorenzi, bibliothécaire d'Innocent VIII. Rome, 1888, 8°.
Inventaire des manuscrits grecs de Jean Lascaris. Rome, 1886, 8°.
Le grec à Paris sous Louis XII. Récit d'un témoin. Paris, 1888, 8°.
Lettres inédites de la Reine de Navarre au pape Paul III. Versailles, 1887, 16°.
Lettere inedita del card. de Granvelle. Rome, 1884, 4°.
Piero Vettori e Carlo Sigonio. Correspondance avec Fulvio Orsini. Rome, 1889, 4°.
Les collections d'antiquités de Fulvio Orsini. Rome, 1884, 8°.
La bibliothèque d'un humaniste au XVI^e siècle (*Muret*). Rome, 1883, 8°.
Notes sur Pirro Ligorio. Paris, 1886, 8°.
Nicolas Audebert, archéologue orléanais. Paris, 1887, 8°.
Jacques Amyot et le Décret de Gratien. Rome, 1885, 8°.
Le dernier amour de Ronsard. Hélène de Surgères. Paris, 1882, 8°.
-

PATRI · OPTIMO

CVIVS · EXEMPLO · LABOREM

DIDICIT · FILIVS

D · D



CONSPECTVS CODICVM

QVI IN HOC OPVSCVLO DEMONSTRANTVR

I. Opera aetate Patrum composita.

Codices Augustiniani : *Uniuers. Pad. 1490, Parisini, 1994, 1989.* (Praemittitur *Confessionum* exemplaris perditionis demonstratio.) — Codex Ambrosianus : *Par. 1557.* — Codices Gregoriani : *Par. 1617, 2540 (2219).* — Codex biblicus : *Par. 590.* — Codex Flauii Iosephi opera exhibens : *Par. 5054.* — Duo Petrarcae breuiaria notantur.

II. Opera post saeculum VI composita.

Codex Isidori : *Par. 7595.* — Codex de Siciliae chronicis Pontificumque Romanorum historia exhibens uaria : *Par. 5150.* — Codices Scholasticorum scriptorum opera exhibentes : *Par. 2589 (2455),* atque *Par. 1617* et *2540* supra demonstrati. — Codex Abaelardi et aliorum epistulas exhibens : *Par. 2925.*

PQ
45 48
N7

DE PATRVM
ET MEDII Aevi SCRIPTORVM CODICIBVS
IN BIBLIOTHECA PETRARCAE OLIM COLLECTIS

Cum in libello qui inscribitur *Pétrarque et l'Humanisme* bibliothecam tanti uiri, quantum facultas nostra tulit, instaurare conati essemus et antiqua scripta, quibus ad litterarum doctrinaeque fontes aperiendos Petrarca usus esset, enumerare tentauissemus, dignum quoque nobis uisum est similes indagationes de Patribus institui. Totam enim antiquitatem complexus est Franciscus, nec ueterum modo Romanorum libros, sed ecclesiasticos etiam audissime quaesiuit. Minore quidem diligentia aut industria in scriptoribus mediae, quae dicitur, aetatis uersatus est, et omnia fere quae temporibus illis latine composita fuerunt foeda barbarie inquinata fuisse iudicauit. Nonnulla tamen huiusmodi scripta inter libros eius paulatim, ut fit, accesserunt. Has itaque omnes clarissimi quondam thesauri reliquias a nobis passim disquisitas in unum colligere ac demonstrare statuimus, atque nonnullorum uoluminum adhuc latentium uestigia quaerere, ut index ecclesiasticae et recentioris partis huius bibliothecae constitueretur.

Aetate iamdudum certe firmata sacras litteras Petrarca tractare coepit. Poetas quidem omnes et historiae philosophiaeque scriptores antiquos, a pueritia in deliciis habitos, iam e longo tempore in familiaritatem receperat, cum Patres eo tempore aut omnino non legerat, aut leuiter attigerat. Locum et tempus, quibus primum codicum sacrorum copiam quaesierit, haud dubie percipiemus, si paululum in mente tenuerimus epistulas ab eo scriptas cum, Valle Clausa in perpetuum relicta, Mediolani sedem posuerat. Annis enim 1353 sequentibusque in ea ciuitate ad Ambrosianam ecclesiam habitabat priuatoque sacerdotum in tabulario, quod archiuum ecclesiae dicebat¹, frequens uersabatur, ruri

1. *De Vita solitaria*, II, 6, 1 (*Opera*, Basileae, 1581, in-fol., p. 275).

uero Garegnanensibus monachis, qui libros in monasterio nonnullos habebant, familiarissime utebatur. Seu igitur piis amicis instigantibus, seu fide sua christiana, paulisper iamdiu debilitata, nouis meditationibus reuiescente, ad litteras sacras animum uertit.

Ceterum epistulis amplissimis amico Francisco Nellio Florentino recentem affectum aperit : « Legi, ait, quae delectabant, « lego quae prosint. Hic mihi nunc animus est (immo uero iam- « pridem fuit, neque enim nunc incipio), neque uero me id ante « tempus agere coma probat albescens. Iamque oratores mei « fuerint Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et Gregorius, phi- « losophus meus Paulus, poeta Dauid... »¹. Ex his uerbis simili- busque, quibus referendis non locus est, facile suspicamur quo ardore quaque diligentia libris Patrum abhinc bibliothecam suam ornauerit, praesertim cum in hac materia studium eius singulare satis compertum habeamus.

I

OPERA AETATE PATRVM COMPOSITA.

In operibus Petrarcae si Graecorum Patrum nomina quaesierimus, fere nullum eorum commemoratum inueniemus. Antonii quidem eremitaе uita a S. Athanasio scripta inter armarii diuitias designatur², cum S. Ioannis Chrysostomi opusculis duobus « deuotissimis libellis, » ut ait, « quorum alter De reparatione lapsi, De compunctione cordis alter inscribitur³. » S. uero Basilii

1. *Fam.* XXII, 10 (Cf. *Pétrarque et l'Humanisme*, Parisiis, 1892, p. 53). V. etiam *Ep. ad post.* « Sacris litteris delectatus, in quibus sensi dulcedinem abditam, quam « aliquando contempseram... » *Sen.* VIII, 6, de Augustini *Conf.* : « Is liber me mutauit « eatenus, non dico ut uitia prima dimitterem (quae uel hac utinam aetate dimiserim!) « sed ut ex eo sacras litteras nec spernerem, nec odissem, immo uero me paulatim « horror ille mulceret, et inuitas aures recusantesque ad se oculos traheret. » (*Op.* 840). Addere testimonia facile licet.

2. Profertur non tantum in *Sen.* VIII, 6, sed in *Fam.* IV, 1, in libro I *De otio relig.*, in *Vit. sol.* II, 1, 1; II, 4, 4.

3. *Sen.* VIII, 6. Citatur Ioannes in dial. I *De uera sapientia* (*Op.* 326) et sexies alibi nominatur.

apud illum nil nisi nomen et uirtutes innotuerant¹, neque amplius de S. Gregorio Nazanzeno dici potest². De Eusebii chronicis et uita S. Clementis papae e graeco translatis mox dicemus. Haud quidem mira uidetur tanta graecarum litterarum raritas, cum solum latinis testimoniis aut translationibus illas nouerit³.

Tres inter Latinos clarissimi Patres, aliquid latinitatis aureae redolentes, cariores habuit : SS. Hieronymum, Ambrosium, Augustinum. Augustinum quidem, cuius operibus plerisque sine dubio potiebatur⁴, tot locis laudauit, inprimis in *Secreto*, ut optimum exemplum eligere nesciamus. His tamen uerbis, quantum humanioribus litteris Augustinus claruerit, satis proclamauit :
 « Augustinum... non solum familiariter illis [gentilium libris] uti
 « non puduit, sed ingenue etiam fateri se in libris Platoniorum
 « magnam fidei nostrae partem inuenisse, et ex libro Ciceronis,
 « qui uocatur Hortensius, mutatione mirabili ab omni spe fal-
 « laci... auersum... O uirum ineffabilem dignumque quem Cicero
 « ipse pro rostris laudet cuique publice grates agat, quod inter
 « tam multos ingratos unus uelit esse gratissimus! O uirum ma-
 « gnifice humilem..., non qui alienis plumis ornatus auctoribus
 « insultet, sed qui iam Christianae religionis fluitantem pup-
 « pim inter haereticorum scopulos agens, praesentisque magni-
 « tudinis sine arrogancia sibi conscius, ueritatem primordiorum
 « suorum et adolescentiae rudimenta commemoret et doctor
 « tantus Ecclesiae non erubescat ducatum Arpinatis hominis,
 « licet alio tendentis. Cur autem erubesceret? Nemo dux sper-
 « nendus est, qui uiam salutis ostendit. Quid ergo studio ueritatis
 « obesse potest uel Plato uel Cicero, quorum alterius schola fidem

1. *Vit. sol.* I, 1, 2: « Magnus ille Basilius librum paruum de solitariae uitae laudibus
 « inscripsit, de quo praeter titulum nihil teneo; et quod illum in uetustissimis codicibus,
 « sic interdum Petri Damiani opusculis insertum uidi, ut dubium me fecerit an Basili
 « esset an Petri » (*Op.* 226).

2. *Vit. sol.* II, 3, 6; II, 10, 6.

3. *V. P. et l'Humanisme*, cap. viii.

4. Circa sexagies citatur in epistulis seu *Familiaribus*, seu *Senilibus*, nec multo minus in ceteris operibus. (V. praeterea *P. et l'Humanisme*, p. 130, et indicem sub nomine Augustini.) Exempli causa, *De uera religione* allegatur in *Sen.* II, 1, in *De otio rel.* I (*Op.* 295), in *Inuect. contra med.* III (*Op.* 1106), etc.; liber *De paenitentia*, in *Sen.* VIII, 6; liber *De Trinitate*, in *Sen.* V, 1; *Quaestiones diuinae*, in *Sen.* II, 1, etc. In *Op.* 966, « uir inaccessibilis » dicitur. — Longius procurrare non decet: de codicibus in opusculo nostro agitur, non de Petrarcae studiis.

« ueritatemque non modo non impugnat, sed docet et praedicat, « alterius libri recti ad illam itineris duces sunt? »¹ » Auctorem ergo summum in omnibus tenebat Augustinum et ultro in medium proferebat, cum ueterum doctrinam et optimarum artium studia tueri instituebat².

In publicis quae nunc patent bibliothecis ante omnia a doctis quaerendum uidetur *Confessionum* exemplar quo Petrarca usus est; nam inter libros eius nullus fortasse carior, nullus scholiis pretiosior fuit. A patre Dionysio de Burgo S. Sepulcri, ad iuueniles impetus contrahendos, anno 1333 Parisiis dono acceperat, quem semper postea secum deuotissime tenuit. Cum Montem Ventosum in Prouincia fratre comitante ascendit, librum in sarcinula tulit, utque primum in summum iugum peruenit, aperto uolumine, Augustini locum legit efficacium sententiarum plenum et animi motibus tum aptissimum³. Multis deinde post annis, opus tam carum animisque saluberrimum saepe transcribi iussit ad fratrem aut amicos mittendum⁴. Proprium uero exemplar, quod tota uita secum habuit, aetate iam ad senectutem uergente, amico carissimo Ludouico Marsilio, monacho Florentino ordinis S. Augustini, uiuus detulit. Epistula qua donum manifestauit, cum in editionibus deprauetur nonnullis mendis, hic uidetur afferenda :

« Libellum tibi, quem poscis, libens dono donaremque libentius, si esset qualis erat dum eum adolescenti mihi donauit « Dionysius ille, tui ordinis sacrarum professor egregius litterarum et undique uir insignis, indulgentissimus pater meus; sed « ego cum et natura forsitan et aetate tunc uagus, quod mihi

1. *Fam.* II, 9 (*ad Iac. de Columna*, a scriptore, ut nobis uidetur, retractata). Lectiones aliquot eruiimus ex codice *Par.* 8568, f. 22'. Fracassettiana editio, praecipue circa finem huius epistulae, erroribus abundat.

2. De Augustinianis studiis tempore renascentium litterarum instauratis, v. K. BURDACH in *Centralblatt für Bibliothekswesen*, VIII, 1891, p. 326 et 454.

3. « Visum est mihi *Confessionum* Augustini librum charitatis tuae munus inspicere, « quem et conditoris et donatoris in memoriam seruo habeoque semper in manibus; « pugillare opusculum, perexigui uoluminis sed infinitae dulcedinis, aperio, lecturus « quidquid occurreret... » (*Fam.* IV, 1).

4. Ad Gerardum fr. (*Fam.* XVIII, 5); ad Donatum Apenninigenam (*Sen.* VIII, 6). De *Confessionum* lectione, haec inspicere inter multa : « Ubi nec fallere uult quisquam « nec falli potest [in Paradiso], unde deuia uitae meae erroresque cernentem [Augustinum] misereri arbitror, praesertim si adolescentiae suae meminisset..., inde mihi « fanel, inde me diligit » (*Fam.* II, 9). « Multum tu, dum corporeo carcere claudebaris, « huic similia pertulisti..., passionum expertarum curator optime » (*Secr.*, pr.; *Op.* 331).

« periucundus et materia et auctore et paruitate sua pugillaris
 « esset atque ad ferendum habilis, saepe per omnem ferme Ita-
 « liam Germaniamque circumtuli, ita ut iam prope manus mea et
 « liber unum esse uiderentur, sic inseparabiles uisu perpetuo
 « facti erant. Dicam rem mirabilem, ut sileam lapsus fluminum
 « ac terrarum, semel mecum ad Nicaeam Vari sub fluctibus maris
 « fuit actumque erat haut dubie, nisi utrumque praesenti periculo
 « Christus eripuisset¹. Sic eundo et redeundo mecum senuit, ita
 « ut iam senex a sene sine ingenti difficultate legi nequeat, et
 « nunc tandem ab Augustini domo digressus ad eandem redit,
 « nunc quoque tecum peregrinaturus, ut reor².»

Hic codex nunquam satis desideratus et haud dubie scholiorum secretissimarumque sententiarum in margine plenus, his signis agnosci possit. Pugillaris est, ut uerbo Petrarcae ipsius utamur, perexiguique uoluminis, et in prima aut secunda pagina duo uersus habet in cadendo consonantes :

Hunc celer ad fontem deserta per arida pergat,
 Quisquis eget lacrimis quibus impia crimina tergat³.

Bandinius quidem Laurentianum codicem saeculi XIV demonstrat, a nobis non adspectum, cum *Confessionibus* uaria Patrum opera continentem (inter quae Ioannis Chrysostomi librum *De reparatione lapsi*), cuius in principio distichon legitur⁴ quique e Petrarcae amicorumue exemplaribus uidetur manuisse. Poetae autem nostri codex nunc in bibliothecis inter tot uulgatissimi operis exemplaria latet, non sine litteratorum plausu in lucem eruendus.

Confessionum Augustini defectum nonnulla saltem apud nos eiusdem uenae opera supplent. Codicem *Ciuitatis Dei* in biblio-

1. Cf. *Fam.*, V, 3, et *Rer. mem.* IV, 7 (*Op.* 486).

2. *Sen.* XV (XIV), 7; *Op.* 939. De Marsilio, v. Voigt, *Wiederbelebung*, ed. noua, t. I, p. 191-194, et ultimam epistularum *Sine titulo* (*Op.* 732), quae haud dubie huic attribuenda est.

3. *Sen.* VIII, 6 (*Op.* 840) : « Poteris si placebit... unum ex his quae olim libris ipse « meis scholastica curiositate praescribere solebam, meum distichon in primordio eius « [libri] apponere.» Sequuntur uersus. — Tria huius generis disticha in codice Vergiliano Bibl. Ambrosianae leguntur (v. *P. et l'Hum.*, p. 119, correct. p. 426).

4. *Cat. Bibl. Laur.*, t. I, p. 27. Codex *Plut.* XII, 23 signatur. Bandinius uersuum auctorem non cognouit.

theca Paduanae Uniuersitatis deteximus sub n° 1490, qui scriptura gallica, ut uidetur, saeculo XIII exeunte confectus est. Constat 249 semi-foliis membranaceis¹, gemina columna dispositis ornatuque modico². In paginae secundae superiore margine, uersus leguntur manu Francisci notissima scripti :

Urbs eterna Dei, solidis subnixa columpnis,
Hunc fore signiferum de tot sibi cernit alumpnis.

Ex huius consuetudine uersus elaborati sunt, si ualet apud nos epistula iam prolata, qua se eiusmodi subscriptiones fatetur usurpasse. In priore autem pagina subscriptio altera apparet, quam dissimili manus Petrarcae scriptura aratam dicet quisquis primo adspectui fidem habebit : *Anno Domini m. iiij c. xxv. mense februario in Auinione, emi istum librum de ciuitate Dei ab exequutoribus domini Cinthii cantoris Turonensis³ pro pretio — florenorum xij.* Nequaquam mirum est, si haec scriptura cum nota Petrarcae manu discrepat; tempore enim iuuenilium annorum exarata est, neque ulla linea tum ab eo scripta remanet. Ceterum non tam longe dispares iudicabuntur, si attentius perspexeris, tum singularum litterarum, tum compendiorum ductus. Iamque de palaeographica ratione et de Petrarcae commoratione in Auenione anno 1325, opusculo separato disquisitionem institui, ex qua, nisi fallor, concludere licet hoc emptionis testimonium manus Petrarcae specimen antiquissimum praebere⁴.

Paucis quidem adnotationibus codex exornatur⁵, summarii modo dispositis et res aut sententias operis breuissime stringen-

1. Codices omnes in opusculo nostro demonstrati membranacei sunt; materiae igitur mentio postea non fiet.

2. Mensura 320 × 220 mill. constat. Fuit quondam monasterii Augustinianorum Paduani, ut mihi humanissime communicauit uir doctissimus Girardi, Uniuersitatis bibliothecae praefectus.

3. De cantore illo Turonensis ecclesiae, qui Auenione tunc obiisse uidetur, nulla alibi fit mentio.

4. V. *Une date nouvelle de la vie de P.*, Toulouse, 1890 (ex *Annales du Midi* ab Ant. Thomas redactis), et cf. MAZZONI, in *Rivista crit. della lett. ital.*, anno VI, p. 38. Disquisitio doctorum assensum habuit; cum uero Paduanus codex inter nostros prorsus singularis sit, aliquod discrimen his uerbis significare uolumus: in scholiis huius codicis plerisque manus Petrarcae agnoscenda nobis *uidetur*, in scholiis autem ceterorum codicum manus *est* Petrarcae.

5. Manus altera, sed ignota, multis adnotatiunculis et signis se profert.

tibus. Romanae antiquitatis, in qua *Civitas Dei* multa est, nomina praecipue sub oculis legentium in margine afferuntur aut scholiis illustrantur. Quae res clarior fit exemplis: Fol. 29 (in lib. III, cap. 28: «Una uero [urbs]... tota iussa est trucidari»), *Videtur fuisse Sulmo, ut narrat Florus in bello Marii et Sille*. F. 30' (IV, 1: «Romae natus et educatus»), *Alibi legitur quod Varro fuit natione Narbonensis*¹. F. 31 (IV, 5), *Hoc gestum fuit Spartago gladiatore duce, secundum Florum*. F. 51' (VI, 9), *Hic aperit que fuerit intentio et opinio Varronis de diis...*

Aptiorem legenti delectationem adnotatio affert, tempore posteriore adiecta, in uno locorum quibus Augustinus Imperii inclinationem deplorat, f. 32 (IV, 7: «Romanum Imperium afflictum est potiusque mutatum»): *Nunc in anno 1342 afflictum re, etsi non nomine mutatum, et annihilatum est*². Hoc enim anno in Italia Germanici Imperii dignitas in dies minuebat resque Romanae lapsu grauiore ruebant, quod hic epistula metrica Clementi VI papae nouissime creato dedicata, Urbis sicut uiduae, Pontifice et Imperatore maritis suis simul priuatae, lamentabatur³. Fortasse adnotationem in Valle Clausa scripsit, hoc anno 1342, cum Nicolai Rentii tribuni nunquam antea uisi colloquiis Auenionensibus animus totus arderet.

A capitulo septimo libri XII ea quam putamus Francisci manus rarior fit: uarias aliquas lectiones, ut solet, ponit scribaeque negligentiam resarcit. Tam paruam uero adnotationem admittit Paduanus codex, quanquam frequentibus locis in Petrarcae operibus *Civitas* laudatur⁴, ut aliud elegantiusque forte exemplar, quo aetate iam firmata potissime usus sit, illum habuisse credamus.

1. Errat Franciscus in nominibus, cum in mente habeat S. Hieronymi uerba, *Ad Eus. Chron. ad a. 1935*, de Varrone Atacino.

2. Cf. adnotationem in folio 37 (IV, 29: «Significatum est Martiam gentem, id est Romanam, nemini locum quem teneret daturam»): *Istud presagium cito euanuit*.

3.

... Sic me fregere labores
Assidui longusque dolor uiduumque cubile,
Coniugibusque orbata domus.

Cf. ZUMBINI, *Studi sul Petrarca (P. e l'Impero)*, Neapoli, 1878, p. 189 sqq.

4. Nonnunquam opus nominatur «liber civitatis aeternae» seu «liber caelestis rei-publicae» (ex. gr., *Contra med.* III; *Op.* 1103 et 1106). In epistula qua mortis a Catone sponte sumptae Ciceronis excusationem uituperat: «Illam,» inquit, «sententiarum re-pugnantiā quamuis ab incunte aetate perpenderem, tamen uerecundius asserebam,

Ceteri etiam Augustiniani codices ad huius uitam perspiciendam nobis aliquid conferunt. *Parisinus 1994*, saeculo XII scriptus semifoliisque 195 constans¹, *Commentarium* continet in L Psalmos posteriores scriptamque huius manu adnotationem in fine habet : *Emptus Rome 1557. 16 martij*. Anno 1336, mense decembri, poeta Auenione profectus erat, Latium petens, et, cum apud familiam de Columna in Capranicensi castello aliquot dies permansisset, Urbem tandiu suspiratam primum intrauerat ante diem 6 martii, ut in alio codice nota quaedam ab ipso exarata docet². Diebus post nonnullis, Augustini codicem emit et postea, die 21 martii, quosdam uersus solutae orationis de peccato et contritione in ultima pagina descripsit³.

In margine adnotationes Petrarcae manu scriptae rarissimae apparent, solumque ad prooemium operis et ad commentaria psalmi 103 (ff. 18 sqq.), psalmi 118 (ff. 60' sqq.) psalmorumque 119 et 120 (ff. 93 sqq.) glomerantur. Verba autem in omnibus locis sparsa Petrarcae totum opus legisse demonstrant, quod minime mirum de maximo Daudicae poesis aestimatore iudicabitur. Admirationem non minorem his uerbis declarat : *Elegantissime et piissime, Diuine et elegantissime*, et similibus⁴. Litteratus quidem homo Augustini textum cum uersu quodam Vergilii confert (f. 19') et cum Macrobiani locis (ff. 20 et 97). Sententiam pulchram in psalmo 119 laudat (« Quicquid finem habet breue est ») et addit : *Quid enim est diu in quo est aliquid extremum? Tullius* (f. 93'). Alio loco aliquid singulare de grammatica obseruat : *Mirror hanc difficultatem, cum excussorum potest esse genitiuus ab excussus et ab excussor* (f. 112'). At psalmos commentariaue legit non tam ad ingenii uoluptatem quaerendam quam ad fidem firmandam praeceptaque doctrinae christianae sui iuris facienda, quod facile

« donec ciuitatem Dei Augustino duce ingressus animaduerti opinionem meam illius auctoritate firmari. Leges illum Augustini locum; est autem magni operis libro primo « haud procul a fine [= I, 27]... quamuis pluriformiter utrinque suppresso Ciceronis « nomine » (Var. 33).

1. 395 × 270 mill. Initiales litteras ornatas exhibet. Ludouici XIV tempore iterum conglutinatus est, ut scutum et adspectus indicant.

2. *Par. 1617*. De peregrinatione, cf. KOERTING, *Petrarca's Leben und Werke*, Lipsiae, 1878, p. 112, et *P. et l'Humanisme*, p. 33.

3. In nostris *Fac-similés de l'écriture de P.*, Romae, 1887, tabula IV, n. 1 (cf. p. 33), uersus delineati sunt a sole.

4. In *Contra med. III* (Op. 1105), commentarium citat in ps. 126 et 146.

uidebis, si uerba quaedam margini adscripta tecum reputaueris : *Audi et nota, Lege memoriter et cum effectū, et similia*¹.

Idem *Commentarium* integerrimum in uetustissimo *Parisino 1989* seruatur, nunc duobus uoluminibus constante permagnis et bibliothecae Petrarcae certe amplissimis, quorum alter 228, alter 167 semifoliis constat². Nostro quidem iudicio, saeculi xi latam claramque scripturam exhibet³; initiales litterae coloribus eximiis depictae sunt. Rarior tamen in margine, et tantum breuissimis uocabulis signisue appositis, nota manus apparet, seu communiora exemplaria ad lectionem praelata sunt, seu antiquitas chartae pergamenae scripturaeque maiestas nimiam uenerationem pepererunt⁴. In prima uero pagina, quae uacua fuit, stat haec pretiosa Petrarcae memoria : *Hoc immensum opus donauit michi uir egregius dominus Iohannes Boccacij de Certaldo poeta nostri temporis. Quod de Florentia Mediolanum ad me peruenit 1555°, Aprilis 10⁴.*

Magnificum illud donum ut recepit, gratias Boccacio suo statim per litteras egit, quarum singulae partes conspectu codicis nostri mire confirmantur : « Beasti me munere magnifico et in-
« signi... Opus immensum, quod uulgo tres in partes apud quos-
« dam plurifariam diuisum multis et magnis uoluminibus conti-
« netur, et totum uno uolumine comprehensum et a te mihi trans-
« missum laetus atque stupens suscepi... Nemo ex amicis illum
« sine admiratione respexit, cunctis una uoce testantibus nun-
« quam se librum tanti corporis uidisse, quod de me ipse profi-
« teor, rerum talium haud ultimus inquisitor; nec mole litterarum
« quam sensuum ubertate maius opus... Et libri decor, et uetus-
« tioris litterae maiestas, et omnis sobrius accedit ornatus⁵. » Qui-

1. Foliis 9, 94, 96', 97, etc.

2. 600 × 390 mill. Ludouico-Philippo regnante conglutinatus est; at multo prius recisi margines et frontes inauratae sunt.

3. Certa manus ff. 65, 66, 66', 68, 142', 143, 208, prioris uoluminis; ff. 8, 18', posterioris.

4. In *Fac-similés* supra citatis, tabula IV, n. 3. Mentionem Ioannis cuiusdam, in calce, cum sit atramento euanido, medicamine etiam chimico adhibito, uix suspicamur. — Nullo Patrum Boccacius, ut Augustino Petrarca, duce usus est; Augustinum quidem maximosque Patres nonnunquam laudauit, multo tamen rarius quam Petrarca. Maiorem rursus numerum medii aevi scriptorum in manibus uidetur habuisse. Cf. disquisitionem plane absolutam Attilii Horris, in *Studj sulle opere latine del Boccaccio*, Tergesti, 1879, p. 475 sqq.

5. *Fam.* XVIII, 3.

bus tam pressis tamque exactis uerbis melius demonstrari codex nullo modo poterat.

Hos duo codices Augustiniani commentarii, quorum alter mancus, ut saepe fit, alter integer est, Mediolanensium ducum bibliotheca in Castello Papiensi congregata saeculo XV possidebat. Quod inuentarii uerba anno 1426 descripta satis docent¹; idemque, ut semel dicamus, obseruari potest de codicibus fere omnibus in opusculo nostro praestricis².

Opera autem Ambrosii haud multa inter codices nostros remanent. Nostro tamen iudicio non ambigitur num Epistulas saltem Patris doctissimi, Mediolani certe tractatas, Petrarca sibi parauerit³. Opuscula etiam eius uaria, quorum inscriptiones ignorantur, a Francisco Bruno Auenione mandata iisdem temporibus recepit⁴. Deinde tam familiariter in scriptore uersatus est, ut librum *De moribus Brachmanorum*, Ambrosii nomen prae se ferentem, adulterinum dicere non dubitauerit: « Licet, inquit, non plene mihi redoleat Ambrosii stilum, inter Ambrosii tamen libros medius est ingenti quodam et uenerabili et uetusto uolumine librorum eius, quod in archiuo Ambrosianae Mediolanensis ecclesiae custoditur; quantum sane haud fortuitis suspicionibus auguror, non Ambrosii, sed Palladii liber est⁵. »

Pauca Ambrosii in *Parisino 1757* collecta reperire potuimus.

1. In Castello Papiensi numeris 495 et 494 signati erant.

2. Textus inuentarii colligitur in *P. et l'Humanisme*, p. 88-89. Iam autem Petrarcae codicum sortem prospexit uir unicus Leopoldus DELISLE, pretiosissimo ad nostrum argumentum capitulo in *Cabinet des mss.*, t. I, p. 138-140.

3. Passim epistolae afferuntur, in *Sen.* XVI, 9; *Vit. sol.* II, 6, 1 (*Op.* 275); *Contra Gall.* (*Op.* 1075); etc. At proferre malumus illa manu Francisci penitus transcripta in *Par.* 7720, f. 91, ubi Quintilianus de usu dictandi loquitur (*Inst. or.* V, 19): « Ambrosius « epistola 38^a. Non enim dictamus, inquit, omnia et maxime noctibus, quibus nolimus « aliis graues esse et molesti, tum quia ea que dictantur impetu quodam prouunt et pro- « fluo cursu feruntur... Apostolus quoque Paulus sua, inquit, scribebat manu. Sic ipse « ait: Mea manu scripsi uobis. Ille propter honorificentiam, nos propter uerecundiam. » Qui uersus, ad Petrarcae usum iam cognitum leuiter pertinentes, scripturam aetatis suae Mediolani actae exhibent.

4. « Pro libro... beatissimi patris atque olim hospitis mei Ambrosii gratias ago. » (*Sen.* VI, 3; *Op.* 808).

5. *Vit. sol.* II, 6, 1 (*Op.* 275). Cf. de eodem Palladio, II, 10, 8 (*Op.* 290), et *Sen.* II, 4. Editores Maurini opusculum in appendicem reiecerunt. (Apud Migne, *Patrol.*, t. XVII, c. 1133-46.)

Codex parui uoluminis est, 58 semifoliis solum conditus, saeculo XIV iam prouecto et fortasse Petrarcae impensa confectus¹. Paginae uno tenore scriptae sunt. Rubricae autem inueniuntur sequentes: F. 1, *Sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi de uocatione omnium gentium liber primus incipit feliciter*. F. 11', l. II. F. 23, *Incipit eiusdem de uera humilitate ad sacram uirginem Demetriadem*. F. 29', *Ambrosius Med. ep. ecclesie Vercellensi*. F. 37', *Eiusdem de obitu Satyri fratris sui liber primus incipit*. F. 45, l. II².

Horum trium opusculorum secundum nihil aliud est quam una ex epistulis³, primum uero adulterinum iudicatur et a Maurinis Ambrosianorum operum editoribus negligitur⁴. Liber tamen *De uocatione* auctoritatem multam apud Petrarcam habuit⁵, nam scholiis ipsius manu scriptis stipatus est. In semifolio a compactore ad caput addito scripsit: *Tractat hic liber difficillimam questionem a multis et ab Augustino precipue integro uolumine agitalam, quod inscribitur De gratia et libero arbitrio*. Et iterum, manu quidem recentiore: *Quarum, ni fallor, disputationum omnium hec summa est: Et gratiam Dei esse et arbitrii libertatem, nec unam per aliam tolli. Hoc inconcussa pietate s[ustinen]dum⁶; de reliquo superuacuis inquisitionibus, que humanas uires ingenii excedunt, et contentionibus abstinendum, stupendumque cum Apostolo super altitudinem diuini consilii et reuerenter audiendum illud Apostolicum suspirium, ubi ait: O altitudo diuitiarum sapientie et scientie Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uie eius! Interea seruiendum Deo in timore et exaltandum ei cum tremore, simul*

1. 285 × 205 mill. Ludouico XIV regnante conglutinatus est codex, qui olim in Castello Papiensi numerum 526 tenebat.

2. Liber II aliquando inscriptionem *De fide resurrectionis* praebet. F. 49', scriba quinque uersuum spatium uacuum reliquerat et locum litterae initiali pingendae seruaerat, quo Petrarca scripsit: *Hic non debet esse principium libri, sed capituli*. Consolationem S. Ambrosii *De obitu Satyri* frequenter affert et ex ea multa colligit, ut in *Fam.* IV, 10; XIII, 1; *Sen.* I, 5; III, 1; etc.

3. Ep. LXIII (S. *Ambrosii op.* t. II, Parisiis, 1690, c. 1022).

4. Apud Migne legitur, t. XVII, c. 1073-1131.

5. In *Parisini 1989* parte posteriore, f. 18', scripsit: *Require de uocatione o. gentium 2°*.

6. Sub hoc uocabulo membrana perforata est.

*orandum et pro uiribus enitendum ut esse electorum in parte mereamur, et cet*¹.

Ex hac inscriptione intellegi potest quid sit adnotationis totius genus ad philosophica aut theologica proposita pertinentis². Nec minore studio sententias Christo colendo aut uirtuti prouehendae aptas colligit, quod innumeri fere loci declarant: F. 11, *Lege cum tremore et fletu*. F. 12', *Memorare*. F. 15, *Nota qui titubas*. F. 19, *Lege attentius et subsiste*. F. 48' (« Domine Iesu... nulli utilis sum »), *Si hoc dicit iste, tu quid?...*

Romanae autem antiquitatis uestigia semper inquirunt. Cum pseudo-Ambrosius rem tritam et peruulgatam apud ecclesiasticos scriptores narrat, Deum rem Romanam usque ad fines orbis propagari uoluisse ut deinde Ecclesia facilius diffunderetur, notat Franciscus: *Nota de imperio Romano. Nescio an deuote potius dictum quam ystorice*. Et iterum: *Idem tamen dicit Augustinus psalmo 95° non procul a principio*. Laudes denique de rebus ethicis uel litterariis saepiuscule aduerbio exoriuntur, quo Ambrosium Sallustii, Ciceronis aut Vergilii imitatore agnoscit: *Ciceroniane* (f. 5), *Tulliane* (ff. 42, 46, 57'), *Salustiane* (f. 44'), *Virgiliane* (f. 50)³. Sic cariora eius, etiam in sacris occupati, studia manifestantur.

Etsi Hieronymi codicum ex Petrarcae bibliotheca nullus nunc reperitur, excepto sermone quodam inserto in *Parisino 1617*, de quo mox tractabitur, multa tamen illius opera apud Petrarcam afferuntur, inprimis in *Senilibus*, in libro II *De uita solitaria* et in libro I *De otio religiosorum*⁴. Quattuor autem praecipue quaerenda sunt: Vitae Patrum a Francisco nominatim demonstratae⁵, *Epistulae*⁶, *Index scriptorum ecclesiasticorum*⁷, liber Con-

1. De quaestione non multum dissimili, in codice *Ciuitatis Dei* iam Petrarca scripserat, f. 43 (V, 10): *Nota. Concludit quomodo simul stant prescientia Dei et liberum arbitrium*.

2. De Firmico Materno ex illo codice adnotationem excerptimus in *P. et l'Humanisme*, p. 300.

3. De Ambrosio ueterum scriptorum Vergiliique imitatore, cf. Maximilianum IHM, *Studia Ambrosiana*, Lipsiae, 1889, p. 80-94.

4. De libro *Contra Vigilantium*, v. *P. et l'Hum.*, p. 428.

5. Lege locum *Senilium* mox, cum de *Par. 2540* agetur, prolatum.

6. Cf. *Sen.* I, 5; II, I; etc.

7. In quo Senecam inter scriptores sacros referri Franciscus haud immerito mirabatur (*Sen.* XVI, 9; *Op.* 961).

*tra Iouinianum*¹ et Eusebii Chronicae translatio uel, ut saepius nominat, *Liber de temporibus*². In margine *Parisini 5054* (Iosephus), f. 175, manu scripsit de anno quo Alexander Magnus obiit: *In libro de temporibus est carta xij*^a. Haec semifolii designatio fortasse ad codicem quo poeta utebatur reperiendum haud inutilis erit; nunc autem quaerant bibliothecarii nosque certiores faciant.

Nonnulla Gregorii Magni opera, *Homeliae et Dialogi*, sunt in duobus codicibus qui uaria sacra continent. Prior *Parisinus 1617*, semifoliiis 224³, saeculo XIV scriptus est, ad Patrum litteras satis aptus, ut index probat: F. 1, *Prefatio translationis hystorie beati Clementis pape de greco in latinum*. F. 2, *liber I*. F. 99, *Incipit epistola sancti Clementis pape ad Iacobum fratrem Domini*⁴. F. 103, *Incipiunt capitula de lectionibus euangeliorum. Dictate omelie* [S. Gregorii]. F. 213, *Sermo sancti Iheronimi presbyteri in assumptione sancte Marie ad Paulam et Eustochium*⁵. F. 222', *Sermo beati Fulberti episcopi [Carnutensis] de natiuitate beate Marie Virginis*. Codex ille autem picturis exornandus erat, quarum omnium spatium a scriba reseruatum est, nonnullis etiam elegantissimo calamo iam delineatis. Emptus est a Petrarca Romae anno 1337⁶, cuius adnotatio summariis constat maxime in uita S. Clementis appositis. Prioribus quidem foliis alterius quoque manus scholia reperiuntur⁷; at frequentiora Francisco nostro

1. Cf. *Vit. sol.* II, 5, 4 (*Op.* 275); *Sen.* I, 5; IV, 5(4): «Magnus testis est Hieronymus... in eo libro quem aduersus Iouinianum haereticum scripsit, mille compactum confertumque historiis.» (*Op.* 788). Is liber, tempore medii aevi, scriptoribus matrimonio inimicis breuiarium, ut ita loquamur, uidetur fuisse.

2. *Fam.* VI, 2; *Var.* 25; *Sen.* VII, 1; *Vit. sol.* II, 9, 2 (*Op.* 283).

3. 330 × 217 mill. Fuit in Castello Papiensi n. 534, in Francia autem regnante Ludouico-Philippo iterum ligatus.

4. In hoc opusculo multa Petrarcae signacula animaduertes, cum nota f. 101: *Nauis et Ecclesie similitudo*.

5. F. 213', Petrarcae manus in margine duo tantum *fnxit summaria*: *Sepulcrum Virginis*, et infra: *Dubitatio multorum circa Assumptionem beatissime Virginis Marie*.

6. Ioannes enim Boivin saeculo XVII hanc subscriptionem legit: *Emptus Rome, 6 martij 1337*. (DELISLE, *Cabinet des mss.*, t. I, p. 139.)

7. Exempli gratia, f. 2: *Prima ergo dubitatio Clemens erat de immortalitate anime. Secunda eius dubitatio erat an mundus facitur ab eterno, utrum eternus, et multe circa hoc dubitabiles circumstantie in ipsius pectore uersabantur*. Cf. ff. 5 sqq. Eiusdem manus signa satis implicata apparent.



certa fide adscribimus : F. 3. *Nota. In Apostolo Dei nichil dialectice artis erat.* F. 3', *Exclamatio Clementis in populo Romano.* F. 4', *Barnabas Clementem Cesaree recognitum pre gaudio lacrimans introducit ad Petrum.* F. 5', *Iubente Petro scribit Clemens librum de uero propheta.* Etc.¹. Insunt praeterea in codice fere omni solita eius signacula marginibus passim adhibita.

Codex alter, *Parisinus 2540*, cui 171 semifolia sunt, in meridiana Franciae parte, ut uidetur, confectus est saeculo XIV². Picturis exiguis sed absolutis nec rudi penicillo insignitur³. Parua summaria manus saeculi XIV eadem adiecit⁴, quae *Parisinum 1617* et praecipue T. Liuii codicem ex nostris (*Parisinus 5690*) adnotauit; Raymundi illius esse uidetur Superantii seu Superani, qui in Romana Curia iurisconsultus fuit cuiusque familiaritate Petrarca usus est. Duo ergo codices ecclesiastica materia referti, de quibus iam loquimur, bibliothecae illius uiri a Francisco tam celebratae assignandi sunt, si modo de Liuiano recte suspecti sumus⁵.

In *Parisino* autem *2540*, Francisci manus tantum duobus margini apposis signaculis agnoscitur (f. 50), quae saltem domini memoriam reuocant. Codex has rubricas praebet : F. 1, *Incipit speculum ecclesie quod magister Hugo de sancto Victore composuit*⁶. F. 29', [Eiusdem liber de ecclesiasticis officiis]⁷. F. 110', *Incipit*

1. Adde quod loco scriptoris apposuit, ex quo aptam suorum profanorum studiorum defensionem trahere poterat (« Si uero ad asserendam ueritatem eruditionem sermonis et gratiam conferamus, puto ex his non parum utilitatem acquiri ») : *Nota quatenus licet uti artibus liberalibus in fide exercitatis.*

2. Non saec. XV, ut *Catalogus Bibl. Regiae* falso asserit. 318 × 213 mill. In Castello Papiensi n. 539. Recenter ligatus.

3. Sunt in principio operum et quattuor partium *Dialogi*.

4. Ex. gr., ff. 7', 20, 35', 41', 43, 109', etc. Cum signis supra notatis humanisque capitibus calamo in margine adumbratis.

5. Cf. *P. et l'Hum.*, p. 232-237. Ioannis autem cardinalis de Columna, celeberrimi uiri, manus plane non excluditur (cf. *ibid.*, p. 427).

6. *Speculum Ecclesiae* inter opera genuina prioris Victorini ab HAURÉAU receptum est, non tamen sine dubitatione. (*Les Oeuvres de Hugues de Saint-Victor*, ed. noua, Parisiis, 1886, p. 199.)

7. Librum, anonymum in codice, inter Hugonis spurios Hauréau collocauit (*l. c.*, p. 203). — Semel in operibus suis Hugonem Petrarca nominauit (*Apol. contra Gallum calumn.*; *Op.* 1080) : « Inter ceteros quos ad Galliae ornamentum trahit [Gallus] « inuitos, unus est Ugo de Sancto Victore, cuius si sepulcri legisset epigramma, sciret

dialogus beati Gregorii pape eiusdemque dyaconi Petri libri quatuor de uita [et] miraculis Patrum italicorum, et de obitu sanctorum et reprobatorum et de eternitate animarum. Qua ultima rubrica Gregorii opus designatur qui inscribitur *Dialogus* in editionibus.

Quid dicam denique de *Parisino 2219*, Gregorii Commentarium in Iob exhibente¹? Catalogi quidem Bibliothecae Regiae conscriptores adnotationem aliquam de origine codicis uidentur legisse²; nuncuero illam frustra quaereres, et in marginibus, etiamsi omnes identidem uolueris, ne minimum quidem inuenies Petrarcae uestigium. Codex igitur nec immerito inter dubios collocamus.

Parisinum 2540, ut fert opinio nostra, in mente habebat hic poeta, cum ad fratrem monachum Carthusianum non sine quadam sacrae eruditionis ostentatione, litteras mittebat: « Habes Patrum
« uitas, illas perlege ut facis, ubi amicum inuenies, quem testem
« secretis consiliis non recuses... Lege Gregorii Dialogum, Au-
« gustini Soliloquia et scatentes lacrimis Confessionum libros, de
« quibus quidam ridiculi homines ridere solent, tu in eis solamen
« ac refugium non mediocre reperies³. » De Patrum historia opuscula passim nominat et se Ticini possidere fatetur hoc loco: « Scripsere et alii multi res ad salutem utilissimas; de his
« loquor, non quae scientia implent et saepe inflant⁴, sed quae
« deuotione humili humanum animum accendunt, ut Collationes
« Patrum et Patrum uitas. Quarum aliquae non pietate tantum,
« sed eloquentia refertae, miris modis et lectorem adiuuant et
« delectant. Qualis est Athanasii Antonius, cuius uita perlecta
« multis profuit ad imitationem uitae... Et Seueri Martinus et

« non Gallum eum fuisse, sed Saxonem, nisi forte quadam cognatione barbariei [*ed.* Bar-
« barici] omnes Barbaros Gallos dicat. Sed disputator argutus aduertere debuerit [*ed.*
« debuit] non omnem propositionem esse uersatilem: certe enim omnis Gallus est Bar-
« barus, sed non Barbarus omnis est Gallus. » (De Hugonis origine adhuc disputant docti
« uiri. Cf. *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 2, et *Biographie Belgique*, t. IX, 676).

1. Saec. XIII. 231 semifol. 540 × 355 mill. Ludouico-Philippo regnante ligatus. In Castelli Papiensis inuentario sic demonstratur sub n. 546: « Gregorii libri xuij super Iob in uno uolumine magno, coperto corio rubeo nouo cum pluribus clauis auricalchi. Incipit *Incipit prologus explanationum et finitur magnitudinis illius intueri*. Sig. viij. »

2. « Codex membr. olim Fr. Petrarcae » (t. III, p. 255).

3. *Fam.* X, 3.

4. Vox est S. Pauli apostoli.

« Hieronymi Hilarion, eiusdemque uel Ioannes Aegyptius, uel « Paulus primus eremita, quem placere tibi admodum sensi nec « immerito... Qui quoniam dinumerare omnes longum est, tibi « cum uoles *in nostro armariolo* praesto erunt¹.» Inter quos libros discernere placet S. Martini Turonensis uitam a Sulpicio Seuero scriptam, « omnium quidem meo iudicio Gallorum disertissimo²,» ut alibi ait Petrarca.

Ex Lactantio non mediocrem de antiquis rebus et ueterum religione notitiam collegerat; et quanti fecerit scriptoris huius testimonium compluribus locis fatetur³. Atque adeo *Institutionum* codicem sine ullo dubio tenuit et adnotationibus locupletauit. Immo Origenem, ut suspicamur, a bibliotheca sua seposuit; ait enim : « Quod ad Origenem attinet, non tam numerare solitum quam extimare me noueris; pauculos libellos incorruptos scripsisse maluerim, quam libros innumeros, in quibus magni, si uera est fama, et intolerabiles sint errores⁴.»

Ceterorum autem Patrum rarissime nomina protulit Petrarca et de nonnullis uel clarissimis ex aliorum auctoritate uideatur iudicasse⁵. Horum codices aliquos fortasse in bibliotheca tenuit; si tamen existimare decet ex eiusdem generis plerisque qui nunc in manus peruenerunt et tam mediocriter a domino adnotati sunt, ab omnibus fructum forte, uoluptatem a paucis percepit.

Fontes autem sacrarum litterarum, nec tantum maximos uel antiquissimos Patres, Franciscus diligenter tractabat. Poesim apud Dauid mirabatur, quem iam in prima *Bucolici carminis* ecloga, feruente tum iuuenta, ita cum Homero Vergilioque com-

1. *Sen.* VIII, 6 (*Op.* 840).

2. *Contra Gall.* (*Op.* 1069). Sulpicius Seuerus etiam nominatur in *Vit. sol.* II, 3, 4 (*Op.* 258). Eiusdem autem *Chronicam*, ut nobis uidetur, Petrarca non nouerat; de Orosii aequalis libro, cf. *P. et l'Humanisme*, in indice.

3. *Rem.* II, 9 : « Lactantius Firmianus, uir doctrinae multiplicis rarique inter suos eloquii... » Circa uicies in operibus impressis citatur, sed saepius in scholiis ineditis (v. *P. et l'Hum.*, in indice). De Lactantii auctoritate apud Boccacium multa, v. *Horris*, *Studj*, p. 472.

4. Rarissime adducit Origenem, S. Cyprianum, S. Leonem papam, S. Hilarium Arelatensem. Laudat ingenium S. Hilarii Pictauiensis, in *Apol. contra Gallum* (*Op.* 1080-1081). Tertulliani nomen etiam non inuenimus.

5. *Sen.* XVII, 2 (seu in ed. XVI, 2, *Op.* 966, mendis apud nos haud immerito correctis).

posuerat, ut uictoriam ancipitem faceret¹. Psalterii ergo codex ab illo tritus in bibliothecis quaerendus est. Libros Sacrae Scripturae tam pie tamque familiariter legit, ut eum plura habuisse exemplaria, ob sedis domiciliique uarietatem, haud temere asseramus². Solum ex iis nunc habemus, in *Parisino 590*, saeculi XIII uergentis codice semifoliisque 113 condito³, Leuiticum cum glosa, una Petrarcae adnotatione signatum⁴.

Codicibus Sacram Scripturam continentibus iure coniungendus uidetur, qui Iosephi *Antiquitates Iudaicas* praebet in latinam linguam antiquitus translata, nec immerito libris ecclesiasticis translationem illam annumeramus, quippe quae temporis Patrum opus esse uerisimile sit⁵. Eiusdem quoque scriptoris *De bello Iudaico* libros Petrarca in promptu habuit⁶, et ipse Lombardus a Serico se plurimi opus facere fatetur, cum in parte inedita libri *De Viris illustribus*, post Francisci mortem a discipulo absoluti, de uita Vespasiani Titique imperatorum nonnunquam illud sequatur⁷. Immo graecus historicus a Lombardo laudatur, ut « uir « industria, et armis eloquioque et litteris tunc temporis omnium « peritissimus »⁸. Deest aetate nostra *Belli* codex a magistro discipuloque usurpatus; remanet autem *Parisinus 5054*, duobus, ut

1. Cf. *Op.* II, p. 9 :

Hunc unum canit ore Deum, quem turba deorum
Victa tremit caelumque nutu qui temperat alium...

2. Frequentissime in nonnullis libris epistulae affertur Scriptura et in epist. *Sine titulo* saepissime cum Vergilii carminibus. In breui oratione coram Ioanne II Franciae rege habita, septem et triginta loca ex Biblia afferuntur (*Mém. divers prés. à l'Acad. des Inscr.*, series sec., t. III, p. 214 sqq.).

3. 340×215 mill. Pulchris initialibus exornatus. In Castello Papiensi n. 593 signatus, in Francia uero Ludouico XIV regnante iterum ligatus.

4. F. 101, de anno iubilario.

5. De Hegesippo qui dicitur Iosephi interprete, v. Max. IHM, *Studia Ambros.*, p. 61-68, qui translationem *Bell. Iud.* Ambrosio tribuit.

6. In Petrarcae scholiis libri *Belli* citantur (v. *P. et l'Hum.*, in indice). In *Par. 5054*, f. 1, prooemii *Antiquitatum* locum Petrarca ipse sic notat in margine : *Videtur quod secundum librum primo scripsit.* — Narratio in *Rer. mem.* IV, 1 (*Op.* 464) habita sumitur ex *Bell. Iud.* III, 7, 9. — In *Apol. contra Gall.*, « Iosephus scholasticus » citatur de filio Herodis (*Op.* 1079).

7. Cf. NOLHAC, *Le De Viris illustribus de P.*, Parisiis, 1890, p. 72 et 79. In *De Viris*, ed. BONON., t. I, p. 814, 818, fit Iosephi mentio.

8. *Par. 6069 F*, f. 185. Cf. ff. 184', 193, etc.

uere loquamur, codicibus confectus, qui duo Iosephi opera dissimilia complectitur¹. Insunt 190 semifolia, et rubricae in principio sic leguntur : F. 1, *Continet hic liber tempus annorum ij milia xxxvj. Incipit prefatio*; f. 2, *Incipit liber primus Flauii Iosophi* [sic]. Semifolio 169 recto incipit codex posterior, manu et ornatu a priore longe dissimilis², cum rubrica : *Flauii Iosephi historiographi antiquitatum Iudaici populi contra Apionem Alexandrinum gramaticum liber primus*.

Ut prius de priore codice dicamus, opus *Antiquitatum* imperfectum exhibet, id est duodecim libros ex uiginti³. Summaria permulta sunt, quibus Petrarca narrationis distributionem in 32 primis semifoliis pedetentim explanat; tunc subito desistunt, nec amplius in operis marginibus redeunt⁴. Haec pars *Antiquitatum* prior cum parte *De Viris* libri nuper reperta et a nobis primum edita mire congruit, qua Patriarcharum uitam Petrarca explicauit. Summaria, ut clarum apparet, simul in margine Iosephi scribebat, patescente latius operis sui confectione⁵. Si scripturae inspectione confideris, hunc duplicem laborem circa annum 1350 factum esse iudicabis, quod ad rationem et tempus operum Petrarcae multum confert. Accedit quod in Iosephi codice post proelii narrationem quo, Moyse orante, Hebraei cum Amalecitis conflixerunt, summaria et scholia desinunt; sic in *De Viris* libro Patriarcharum uitae usque ad Moysen nec amplius ordine productae sunt. Ergo in serie illustrium Hebraeorum explicanda ultra Moysen Petrarcam non perrexisse, ut nostra iam ferebat opinio, *Antiquitatum* codex quem in promptu habemus abunde confirmat.

Pauca de plurimis summaria satis docere possunt, quot uaria ac curiosa testimonia apud Iosephum Petrarca collegerit : F. 2', *Quatuor flumina de quibus neque hic, neque in Biblia scio quid*

1. 345×230 mill. Ludouico XIV regnante ligatus, ut uidetur, marginibus nimis resectis. De codicis historia, cf. excursus IV in *P. et l'Humanisme*.

2. Ornatu similis est codici Tulliano *Trecensi* 352; at pictura primae litterae initialis desideratur.

3. In aliis fortasse codicibus Petrarca reliquos habebat : epistula enim a Caesare Sidoni ciuitati missa, ex qua locos nonnullos refert, in *Ant.* XIV, 10, 2, legitur.

4. Signacula tantum et uerba simplicia in ff. 47 et 87 reperiuntur.

5. Cf. *Le De Viris ill. de P.*, p. 101 (Codex, ex quo opus ineditum eruimus, *Par.* 6069 I signatur). P. 124, n. 2, exempli causa summaria Petrarcae in uita patriarchae Ioseph omnia edidimus (ex *Par.* 3054, ff. 16-23).

cogitem. F. 3, *Primus pastor. Primus agricola.* F. 3', *Musica. Bellum. Ars ferraria. Abreuiat ystoriam.* F. 4, *Quo anno, quo mense diluuium fuit.* F. 4', *Modus computandi annos.* F. 5, *Rationes uite longioris in patribus primis.* F. 5', *De magno anno aliter quam nostri. Testes longitudinis uite antiquorum.* F. 6, *Gentium primordia post diluuium. Mutatio nominum facta per Grecos. Caue quomodo in Europa Galathe¹; uereor enim ne sit error. Scithe. Medi. Ionii....* F. 6', *Qualiter Greci appellant Hebreos.* F. 8, *Abraham arismetice² atque astrologie peritissimus. Affaltidis palus. De hoc contra Apionem l. I, c^o 26.* F. 9, *Principium circumcisionis.* F. 10, *Tempus circumcisionis Iudaice et Arabice.* F. 13, *Bethel; latina lingua quid.* F. 16, *Aperte accedit ad seruitutem et exitum Israel de Egipto.* F. 24, *Pietas Dei et cautela hominum pro salute Moysi.* F. 25, *Primum argumentum Mosayce uirtutis.* F. 25', *Secundum argumentum uirtutis felicitatisque et, ut fit, ortum in periculis....* Locus est Iosephi, f. 28', in epistulis *Sine titulo* saepe memoratus³ et in margine notatus : *Babylon Egiptia a Cambisse condita⁴.* In conspectu duorum translationis huius locorum, Franciscus Vergilium suum memorare non dubitauit, tum uno uerbo *Vergiliane* (f. 13), tum certa propriaque collatione : *Virgilius. Nec lacrimis crudelis amor, et cet.* (f. 26)⁵.

In libris duobus *Contra Apionem*, scholiorum pars altera circa 1350, sicut *Antiquitatum* summaria, uidetur scripta, pars altera multo posterius. Notabilia haec credimus : F. 171, cum Iosephus nomen Romanorum, Alexandri Magni temporibus, nondum a Graecis cognitum asserit (I, 12), *Peruenit tandem magnis eorum cladibus, nec ad Grecos tantummodo, sed ad Indos. Miror autem cur hoc dixerit, cum haud procul a mari Roma sit⁶.* F. 174', (I, 22), *Pithagore laus magna. Nichil scripsisse Pithago-*

1. Cf. *Ant.* I, 6, 1.

2. Sic est Petrarcae orthographia.

3. *Sine tit.* 7, 8, 15 (*Op.* 718, 719, 726).

4. F. 29', codex habet de Moyse : « Gratiarum actionem... exametro tono composuit »; Petrarca autem : *Moyses exametrum composuit.*

5. De filiae Aethiopici regis erga Moysen amore (*Ant.* II, 10, 2). Verba translationis ita se habent : « In amorem eius lapsa crudeliter; » Franciscus subito contulit *Ecl.* X, 29 : « Nec lacrimis crudelis amor. »

6. Eodem loco, priore scriptura summarium legitur : *Neque Herodotus, neque Tucidides de Roma mentionem faciunt.*

ram et hic innuit, et Augustinus affirmat. F. 180, *Instabilitas gentium in sacris et constantia Iudeorum; que iam non amplius constantia, sed pertinacia et obstinatio dici debet*. Opus illud et *Antiquitates* nomina complura ueteris historiae scriptorum Petrarcae retexerunt, quae postea in scriptis protulit; nam Berosii et Manethonis reliquias, ut de ceteris taceamus, a Iosepho graece seruatas et in translatione conuersas cognoscere potuit. Praeterea iidem libri *Contra Apionem*, multis summariiis margini apposis quae ad philosophiam aut historiam pertinent, demonstrant quanto studio Franciscus noster Iosephum legerit, quotque notitias de antiquitatibus graecis uel asiaticis ex eo fonte hauserit.

Ne diutius in sacris codicibus lectorem teneamus, de eo dicendum est, qui Francisco fuit familiarior et in manu frequentior. Officium enim cotidianum recitare, propter canonicatum, ex ecclesiasticis legibus debebat. Duorum codicum memoria manet breuiarium continentium. De altero breuiario in huius poetae testamento agitur; de altero in Nellii Florentini epistula adhuc inedita¹. Hoc, ab amico Florentia missum, parui erat modi atque in longinquis itineribus opportunum; illud, Venetiis antea pretio centum librarum emptum, magnae molis et molestiae². Ampliorem tamen codicem, picturis nonnullis insignem, Petrarca uidetur praetulisse et custodi ecclesiae Paduanae nominatim legauit (« ut post eius [custodis] obitum remaneat in ecclesiae sacristia... ad obsequium perpetuum presbyterorum »)³. Quod, etiamsi nolunt alii scriptores, unicum fuit librarium legatum quo ecclesiam suam canonicus clarissimus ditauit⁴. Saeculo autem XVI, Romam breuiarium inconsulte translatum est⁵, ubi post multos annos Petrus

1. *Par. 8631*, f. 13.

2. De duobus codicibus, v. *P. et l'Humanisme*, p. 55-56.

3. Locum testamenti in eodem libro quaeres, p. 79, n. 3.

4. Bibliothecam peculiarem reu^{mi} Capituli Paduani pro nostra facultate anno 1889 excussimus, prout mirabili beneuolentia nos exceptit canonicus Grinzato, diligentissimus Petrarcae cultor tantoque nomine nobis conciliatus. Ne uero libellum quidem a nostro poeta manantem in hoc Capitulari thesauro, tot diuitiis ceterum insigni, inuenire potuimus.

5. Anno 1432, ut capitularia regesta testantur, Gaetanus Tiene, canonicus Paduanus, breuiarium quaesierat domi ad paucos dies tractandum; commodationem autem recusauerat Capitulum. Saeculo uero XVI, canonicus alter, Barbarigus nomine illustrique

Antonius Serassi in Borghesiorum palatio id reperit et litteris Patri Antonio Euangelii missis demonstrauit¹. Quo deinde euaserit, facile sciet quisquis in mente tenuerit Borghesianos codices nuperrime in Vaticanam bibliothecam tanquam in tutissimum dignissimumque portum confugisse².

II

OPERA POST SAECVLVM VI COMPOSITA.

Nemo non ignorat quanti fuerit momenti in medii aevi scholis is doctrinae thesaurus qui inscribitur *Etymologiae* et quem Isidorus Hispalensis condidit³. Raro quidem in operibus Petrarcae nominatur uixque saepius in scholiis ineditis⁴. A pueritia tamen librum legebat, in codice saeculi XIII uergentis, *Par. 7595*, quem nobis adnotatio commendat, atramento caeruleo scripta, in uno ex foliis ad caput a compactore additis: *Emptus mihi a patre Parisius, tempore pueritiae mee, post furto perditus et recuperatus*⁵. Codex constat 217 semifoliis⁶, et rubricas praebet in

familia ortus, eamdem petitionem, cum Romae commorabatur, fecit, mox ut aiebat remandaturus, translatioque breuiarii Romam permissa est, ex Capituli deliberatione die 2 ian. 1556 habita; temere quidem, nam confidentes nimis canonici nullam postea de codice commodato memoriam acceperunt. (*Della biblioteca del revmo Capitolo di Padova, memoria di mons. Nicolo Dott. Scarabello*, Paduae, 1839, p. 9.)

1. Epistulam edimus in appendice. De translatione alium rumorem sequitur.

2. Re uera, dum haec typis mandabantur, R. P. Cozza-Luzi, doctissimus Vaticanus bibliothecarius, Petrarcae breuiarium Borghesianum iterum agnouit, de quo mense decembri 1891, ut diurna Urbis acta communicauerunt, elegantissimam contionem habuit. Cf. *Rev. des Bibliothèques*, II, p. 91.

3. De *Originibus* seu *Etymologiis* accuratum studium Marii MICHEL recenter legimus in *Revue internat. de l'enseignement*, t. XXII (1891), p. 198 sqq.

4. V. *Fam.* III, 1; *Sen.* II, 1. (*Op.* 754: «Isidorus, quo auctore raro utor...») In *Fam.* X, 4 (Gerardo fratri), Isidori auctoritatem post alias affert, «quia is, ut reor, familiarior est tibi.» — Venerabilis Bedae *Chronicon* certe uoluerat; ait enim in *Apol. contra Gallum*: «Legat Bedae de temporibus...» (*Op.* 1079).

5. In *Fac-similés* cit., tab. IV, n. 2.

6. 345 × 250 mill. Initialibus magnis ornatus. In Castello Papiensi erat n. 100. Adhuc compactionem ueterem retinuit, cum lateribus ligneis uellutoque contactis, claustris uero amissis.

principio : F. 1, *Epistola sancti Ysidori Spalensis episcopi ad Braulionem Cesaraugustanum episcopum*; f. 3, *Incipit liber sancti Ysidori... ad Braulionem... scriptus, qui uocatur Ethimologiarum*. F. 197, incipit opusculum (*Testimonia legis et prophetarum de Christo a Sancto Ysidoro collecta*), quo Petrarca omissos aliquot uersus ex perfectiore quodam exemplari manu sua addidit. In codice rara sunt eius scholia¹; nonnulla tamen ad nostrum argumentum spectantia uidentur excutienda.

Testimoniis a scriptore allatis saepe alia Petrarca quaerit adiungenda; profert enim, ff. 22' et 172', Augustini *Confessiones*, ff. 85, 85' et 140, Lucani *Pharsaliam*², ff. 113' et 118', Plinii *Naturalem historiam*, capitulis ut solet signatis, denique f. 162, Ciceronem, cuius aliquam *De officiis* sententiam memorat, et Ouidium, ex quo *Metamorphoseon* uersum transcribit³. Fontes antiquos, quibus scriptor usus est, mira diligentia requirit. Notat itaque quam multis locis Vergilius aut Seruius ab illo usurpentur; uide, exempli causa : f. 130, ubi de Benaci lacus procellis Auernique siluis agitur; f. 141', in principio libri XV : *Totum principium ad litteram est Seruii super 7^o Eneyd. ibi Nec Prenestine f. d. u.*⁴. Reuerentiam erga Isidorum facile exuit, eiusque nugae in margine respuit libero uerbo (*Falsum!*)⁵ uel certa admonitione : f. 139, *Inepte allegatur [Vergilius]*; f. 85', *Mira inaduertentia paruae rei; Seruium forte, quem sepe sequi soles, abieceras*.

Nonnullos alios libros, qui ea actate in scholis frequenti usu erant, certe possidebat, nec tantum ueteres grammaticos⁶. *Graecismum* itaque Ebrardi Bethuniensis recentioris tumque diuulgatissimi grammatici, tacito tamen scriptoris nomine, profert⁷.

1. Manus aliae in codice scripserunt. Cf. f. 72 (cit. August., *C. D. X*, 4); f. 87' (cit. Liuius); f. 130, in Isid. XIII, 22 (« Araris flumen Orientis »): *Imo est Occidentis et alio nomine dicitur Sagona et est in Gallia que hodie dicitur Burgondia, et influit Rodanum iuxta Lugdunum*.

2. F. 85', duo uersus Lucani in margine. F. 85 (in Isid. IX, 2): *Et Lucanus errauit, et tu post eum*.

3. In Isid. XVII, 2 et 3.

4. *Aen.* VII, 678. Vergilius Seruiusque etiam agnoscuntur, ff. 10', 83, 85, 86, 88', 110, 140.

5. V. f. 87. Cf. f. 189, de Maris Rubri colore (XIII, 18): *Notorie falsum, sed correctum illico*.

6. Eorum nomen quaere in indice libri *P. et l'Humanisme*.

7. *Ambrosianus A. 79 inf.*, f. 105'.

Scholion integrum ex codice Vergiliano referendum est, ad Seruui glossam de graeca uerbi *Lenaeus* origine (in *Aen.* IV, 207) allatum :

Notabilis glosa et per nouos grammaticae tractatores adducta ad probandum quod Graecum latinam ethimologiam non recipit. Adducunt et Ieronimum Gen. 17^oc. : Sara, inquit, non grecam sed hebraicam debet habere rationem, hebreum enim est; nemo enim altera lingua quamlibet uocans ethimologiam sumit uocabuli ex altera¹. Ad id et Grecismi scriptorem dicentem : Ethimologia lingua tantum sit in una. Adde quod scripsi in Prosodia de añ. a. añ. m. in primis. Ultima quidem uerba, quorum notas non soluimus (fortasse de AMEN, A ante M), ex bibliotheca nostra codicem alium perditum, nisi fallimur, indicant.

Saepius glossarii notissimi, quanquam de eo in operibus editis tacet, in similibus scholiis mentionem facit, id est operis ab Huguccione Pisano, Ferrariensi episcopo, ineunte saeculo XIII conditi². Nos quidem piget tantam auctoritatem Franciscum tribuisse libro amplissimo, sed monstroso, cuius in glossis antiquis et uocum deriuationibus deformandis omnino incredibilis est peruersitas³. Sed peruulgatus erat ille *Liber deriuationum* in scholis maxime Italicis et a doctorum manu cotidiana potissimum uersabatur⁴. In exemplari suo nonnullas adnotationes poeta quasi in repertorio apposuerat, ut ex quodam Pliniani codicis scholiorum conspicuum uidetur (*Par.* 6802, f. 54; in textu uerbum est plurali numero *cubita*) : *Ugutio ponit masculino genere sub uerbo cumbo bis; sed Ieronimus dicit scire se cubitum neutri generis esse, et cet. Require quid in margine Ugutionis scriptum est. Apud hunc quidem [Plinium] semper est neutrum.* Igitur ad agnoscendum Petrarcae exemplar, aliquando satis erit Huguccio- nis lexicon sub uerbo *CUMBO* euoluere⁵.

1. HIER., *Quaest. hebr. in Gen.*, 17, prorsus libere citatus.

2. Cf. *P. et l'Human.*, p. 133, 243, 279.

3. De *Libro deriuationum*, v. FR. HAASE, *De medii aevi studiis philologicis disputatio*, Vratislaviae, 1856, p. 32 sqq. De medii aevi glossariis, cf. *Hist. litt. de la France*, t. XII, p. 9 sqq. et Samuelis BERGER thesim, Parisiis, 1879.

4. In epistola Nellii inedita, Francisco nostro missa et omni genere eruditionis referta, legimus : *Forensis noster oberrat, qui fere Uguccionem totum memorie commendauit.* (*Par.* 8631, f. 15.)

5. De libro Ioannis Genuensis, qui inscribitur *Catholicon*, omnino tacet. In codice Vergiliano iam laudato bis affertur *Liber sane trium linguarum qui Triglossos dicitur.*

Inexpectatas de studiis Francisci notitias, nec a doctis ut aiunt « Petrarchistis » spernendas, profert *Parisinus 5150*, cui, si modo Bibliothecae olim Regiae custodibus fidamus, praemissa erat possessoris subscriptio: *Missus de Florentia ubi mee... anno 1564. 5 iunii ad ues[perum]*. Saeculo XIV scriptus et 175 semifoliis conditus est, quorum nonnulla inter libellos uacua sunt¹. Insunt: F. 4, Historia anonyma Innocentii papae III († 1216), omisso titulo et imperfecta²; F. 64, Chronica Normanni scriptoris Hugonis Falcaudi (Foucaut), qui abbas S. Dionysii in Francia obiit anno 1197; inscriptio operis in codice uacat, at in aliis legitur: « Falcaudi liber de calamitatibus Siciliae sub Willelmo I et II regibus, ad Petrum Panormitanae ecclesiae thesaurarium »³; F. 106, *De papa Gregorio et imperatore Frederico* (rubrica), Historia anonyma Gregorii IX et Celestini IV et Innocentii IV († 1254)⁴; F. 120, Vita Pontificum a Bosone cardinali redacta, in codice sine nomine et sine inscriptione, a Stephano V († 891) usque ad Alexandrum III († 1181)⁵.

Marginibus Petrarca breuia summaria more solito inseruit, quibus uiri et loci et gesta praecipua statim legentium oculis subiciuntur. Nonnulla autem notabilia uerba animaduertuntur, ex quibus haec delegimus: F. 4', de fraude quadam imperatoris Henrici VI: *Fides Teutonica!* F. 21', uerbis epistulae Innocentii III in textu insertae (« Ecce principatus ubi uigebat saecularis potentiae altitudo ») apposuit lector: *Hac sententia usus sum, horum inscius*. F. 99, reuerentiam demonstrat erga laurum, qua in die Capitolini triumphii caput suum ornauerat, commendatque nomen Roberti de Lauro: *Pulcrum cognomen!* F. 154, Veronenses et Paduani in textu notantur, « tanquam uiri in bello bellicosi et

1. 310 × 320 mill. Fuit n. 345 in Castello Papiensi; in Francia sub Ludouico XVIII iterum ligatus est.

2. Quo pacto Innocentium III Franciscus miratus sit, abunde refert *Sen.* XVI, 9.

3. Chronicis illis res Siciliae narrantur usque ad annum 1169. F. 65, Francisci summaria ad Siciliae geographiam pertinent (de Arethusa, v. etiam f. 104'); f. 67, in margine genealogiam Normannorum regum collocauit, cum annotatione: *Rogierius rex Siciliae primus. Illic fuit non multo post ante tempus Innocentii tertii pape, supra in tractatu eiusdem...* (Cf. in codice, f. 12').

4. Inc. « Temporibus felicitatis memorie... »

5. In *Libro Censuum* opus Bosonis insertum est. Editur autem in *Le Liber pontificalis, texte, introd. et comm.*, t. II, p. 350 sqq., a claro uiro Lud. DUCHESNE, qui Petrarcae codicem nominat in *Introd.*, p. xxxviii.

libertatis propriae amatores»; Petrarca signat legens : *Audite, Veronenses et Paduani!* Summariis scilicet communibus iamiam intellegimus Petrarcam nonnulla animi intentione Pontificum Romanorum historiam perspexisse¹, nec minore diligentia res a Normannis ad Siciliam subigendam gestas tractauisse. Quod eius studiorum genus, quanquam in *Rerum memorandarum* libris recentiores uiri nonnunquam commemorantur, adhuc tamen non satis claruerat².

Non historiographis tantum medii aevi, sed geographis etiam aliquandiu uidetur studuisse. Regionum quidem descriptiones ab his scriptoribus conditas parui ducebat; Hiberniae autem notissimam topographiam a Giraldo Cambrensi (*Giraud de Barri*) compilatam omnino non despiciebat, quia in epistula, qua de situ Thyles insulae disseruit : « Libellus », ait, « ... a Giraldo « quodam aulico Henrici secundi regis Anglorum, licet tenui « rerum stilo, non rudi tamen uerborum arte contextus; quem « ne totum bibliothecae nostrae foribus excluderem, breuis quae- « dam ipsius particula promeruit, ubi de hac eadem insula nos- « trae similis et operosa dubitatio inserta sit. Itaque similitudo « una ingenii mihi totius operis commendauit auctorem³. » Idem opus in Pliniani sui codicis scholiis sub inscriptione *De mirabilibus Hiberniae* protulit.

Vulgaria quidem poemata Petrarcam legisse notum est, de quibus in excursu VII libri *Pétrarque et l'Humanisme* omnia, ut

1. Nescio num ab iis Francisci studiis originem traxerit notissima atque falsa inscriptio fasciculi cuiusdam uitarum Pontificum italice scripti et cum Petrarcae nomine impressi. (Prima editio, Venitiis, 1507, demonstratur a W. FISKE, *Catal. of Petrarch Books*, Ithacae, 1882, p. 45.) Anno etiam 1715, Clemens XI non dubitauit quin transcriptionem nouam iusserit, ad Bibliothecae Vaticanae usum, « cum ab editis exemplaribus plurimum discreparet, ex codice membranaceo ms. Farnesiano sub ipsa auctoris tempora exarato » (scribae subscriptio, in *Vat. Reg. 771*, ab Henrico NARDUCCI relata, *Catal. dei cod. petrarcheschi delle bibl. Barberina, Chigiana... e Vaticana*, Romae, 1874, p. 46).

2. Unus chronicorum scriptor in libris *Rer. mem.* laudatur, propter stili, ut auguramur, elegantiam : « Horum quidem », ait Franciscus, « Musatus Patauinus, nouarum rerum satis anxius conquisitor, testis est » (IV, 9; *Op.* 493). — Locus de Carlo Magno imperatore Alcuino tributus profertur in *Sen.* I, 1 (*Op.* 700); at uere Eginhardi est, in *Vita Caroli*, 10.

3. V. scholia inedita in *P. et l'Human.*, p. 275.

4. *Fam.*, III, 1.

credimus, eius testimonia collegimus¹. Neque igitur argumentum iam tractatum recoquam. Nobis constat uulgaris linguae, seu gallicae, seu italicae, seu ut aiunt aquitanicae, scriptorum paucissima inter codices suos opera Franciscum tenuisse et nunquam in corpus redegisse, exceptis Dantis Allegherii *Comoedia* a Boccacio oblata nonnullisque fortasse italicis opusculis. Poetarum uero infimae latinitatis plerosque irrisit, in primis nominatimque Alanum ab Insulis et Ioannem ab Alta Villa, unumque Lupatum de Lupatis Paduanum peculiari nec minima laude coluit; *Alexandreidem* Gualtheri a Castellione seu ab Insulis perlegit, ut nobis uidetur, nunquam uero eum haud spernendum scriptorem nominare dignatus est².

E scriptoribus, qui nomine Scholasticorum uulgo designantur, messem exiguam Petrarca decerpit. Ne nomina quidem tam illustrium philosophorum, paucissimis exceptis, ne inscriptiones quidem tot librorum mysticorum tum manibus omnibus tritorum, epistulis commentationibusque suis inseruit³. Perpauca igitur huiusmodi libelli inter codices nostros reperiuntur. De Fulberto Carnutensi et Hugone de Sancto Victore iam mentio fuit, quorum opera quaedam a Petrarca quidem possessa, haud tamen perlecta apparent⁴. Idem dici potest de monacho Gallo, cuius libellus exstat in

1. Poemata de quibus agitur praecipua sunt fabula gallica celeberrima de Rosa, fabulae Britannicae, etc., nec non poetarum aquitanorum (*Troubadours*) carmina.

2. Testimonia require in excursu supradicto collecta. (*Les ouvrages en langue vulgaire chez P.*)

3. Extollit quattuor praecipuos Italos scholasticos, ad maiorem laudem patriae, Academiae Parisiensis elogium ut uidetur immodicum refellens: « At fortasse non homines « adspicit iste [Gallus calumniator], sed studium, ut quisquis Parisiis studuerit Gallus « sit. Inuitus dicam, sed cogit siue urget ueritas. Est illa ciuitas bona quidem et insi- « gnis regia praesentia; quod ad studium attinet, ceu ruralis est calathus, quo poma « undique peregrina et nobilia deferantur. Ex quo enim studium illud, ut legitur, ab « Alcuino praeceptore Caroli regis institutum est, nunquam quod audierim Parisiensis « quisquam ibi uir clarus fuit; sed qui fuerunt, externi utique et ... magna ex parte « Itali fuere: Petrus Lombardus Nouariensis, quem ipsi Petrum Lombardi solent dicere, « ut uideatur patris nomen esse non patriae, Thomas de Aquino, Bonauentura de Balneo « Regio atque Aegidius Romanus [de Columna], multique alii.» (*Apol. contra Gallum, Op.* 1080). Sanctissimi et clarissimi scriptores iterum nunquam a Francisco nominantur; breuius erat semel laudare illos quam legisse.

4. De codice *Parisino 2453* (Remigius Autissiodurensis), quem, ut aiunt, Mellinus de Sancto Gelasio quondam et immerito Petrarcae bibliothecae tribuerat, uide sententiam nostram in *P. et l'Hum.*, p. 91, n. 2, expressam. In Castelli Papiensis codicum inuentario deest.

Parisino 2589, codice saeculi XIV exiguo, semifoliorum 56¹, cum inscriptione : *Incipit Benjamin de intima contemplatione compositus a Ricardo de Sancto Victore*. Codicem, ut recte opinatus est Delisle, ignotus homo poetae donum dedit². In inferiore paginae ultimae margine stant uersus :

Qui benefactor, habe contemplatiua Ricardi,
Que mitto Lucas deuotus Geminiani.

Aliqua signacula in margine, a manu poetae haud dubie posita, scholiis tamen deficientibus, uiri doctissimi opinionem confirmant.

Multo maioris aestimandus est *Parisinus 2925*, apud Petri Abaelardi editores nobilis codex nec omnino uiris eruditis ad res Petrarcae intentis incognitus. Dignus est tamen qui in accurata disquisitione ponatur. Paruo quidem uolumine est, semifolii scriptis 177, duabus columnis pagina constante, manu quadam Gallica saeculi xiv ineuntis scriptus³. Minutis sed elegantibus picturis quattuor initiales litterae ornantur⁴. Insunt quae sequuntur rubricae :

F. 1 : *Abaelardi ad amicum suum consolatoria* [= *Historia calamitatum*]. F. 14 : *Domino suo imo patri, coniugi suo imo fratri... Abaelardo Heloysa*⁵. F. 43 : *Incipit Apologia Berengarii Pictauiensis pro magistro Petro Abaelardo*⁶. F. 45 [Eiusdem] *Patri et domino suo G. Mimatensi episcopo*. F. 47 : [Eiusdem] *Fratribus Cartusie*. F. 47' : *Dixit A. P. Dixit P. A. Dixit eidem*

1. 235 × 150 mill. Fuit in Castello Papiensi n. 688. Regnante Ludouico-Philippo iterum ligatus.

2. *Cabinet des mss.*, t. I, p. 139. Italice nomen sonat *Luca Geminiani*.

3. 218 × 150 mill. Folia ad caput adiecta signantur A-E, ad calcem 178-179. In principio sunt uerba : *D. Francischi Petrarche*, quibus additur *fuit* (cf. DELISLE, *l. c.*, p. 139). Bibliothecae Castelli Papiensis inuentarium codicem demonstrauit sub n. 70, nec multo post index in folio A praepositus est. In Francia iterum ligatus est, Napoleone I regnante.

4. F. 1, Abaelardus et Heloysa (uultus feminae erasus est); f. 51, Theodoricus rex; ff. 43 et 94, monachus.

5. Epistularum series est edita, quarum ultima (VIII) in codice explicit : « Valete in Christo, sponse Christi. » Codice usus est Ed. ODDOUL, *Lettres d'Abailard et d'Héloïse traduites du latin sur le ms. 2923 de la Bibl. Royale*, Parisiis, 1837. (Editio posterior, 1853, de codice tacet.)

6. Rubrica qua explicit *Apologia* notat librum secundum, qui adhuc latet. Cf. *Abaelardi op.* a Fr. Ambosio edita, Parisiis, 1616, p. 320, aut MIGNE, t. CLXXVIII, col. 4870.

*idem*¹. F. 48' : *Uniuersis Ecclesie sancte filiis Petrus* [Abaelardus]. F. 50 : *Petri Abaelardi epistola* [Ad Parisiensem episcopum]. F. 51 : *Incipit primus liber uariarum Theodorici regis* [sic]; f. 51 bis : *Magni Aurelii Cassiodori senatoris v. c. ill. ... uariarum liber primus incipit* [= IV priores libri]. F. 91' : *Fragmenta Artis dictatoriae*². F. 94 : *Incipiunt epistole magistri Stephani Aurelianensis Tornacensis episcopi*. F. 172 : *Alexander episcopus seruus seruorum Dei uenerabilibus fratribus uniuersis archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis*³.

Ad caput codicis epistularium opus fere totius continentis, epistularum Abaelardi et Cassiodori et Stephani Tornacensis argumenta, indicis forma, binionem a compactore insertum occupant. In columellis disponuntur scripturaeque tam minuta sunt, tam festinanti lectuque difficili, ut cuius sit adnotatorum dubium remaneat⁴. Petrarcae quidem fortasse assignabit, nisi fallimur, quisquis minutissimam scripturam foliorum *Vat. lat. 5196* in memoria tenebit⁵. Maneat sub iudice res minima. Maioris uero momenti uidetur esse epistulas Cassiodori et Tornacensis episcopi fere praetermissas a Francisco fuisse. Paucissimis enim signaculis summariisque manu eius comitantur⁶. De Cassiodoro

1. Hanc dialogi particulam Ambosius primum edidit, p. 326-329, quod Victor quoque Cousin Abaelardo tribuit, « e libro incerto » (*P. Abaelardi op. hactenus seorsim ed. nunc primum in unum coll. Cousin, adiuant. Jourdain et Despois, Parisiis, 1849, t. II, p. 727-729*). In fontium et codicum demonstratione editio illa, ut scis, nimis parca uidetur.

2. Ex parte manu altera scribuntur.

3. Sequitur manu altera scriptum epistularum formularium, quod in f. 177 explicat.

4. Lector apparet aliquis diligentissimus et a Petrarca attentis oculis diudicandus, cuius scripturae, ex. gr., uerbum *Nota* in ff. 3' et 10 tribuendum est (in Ep. I, 95 et I, 10) et scholion in f. 10' (cum de SS. Norberto et Bernardo Abaelardus ait, I, 12 : « Quosdam aduersum me nouos apostolos, quibus mundus plurimum credebatur, excitauerunt ») : *Nota de institutione ordinis apostolorum, qui hodie reprobatus est*. Lector ille Franciscum aetate praecurrere uidetur.

5. Cf. ex. gr., MONACI, *Archivio paleogr. ital.*, vol. I, fasc. 5 (ff. 2, 2' 11', etc.). — Eiusdem aut simillimae scripturae sunt haec « memorialia » in f. 178', atramento plerumque euanido :

Solui pro luendis decretulibus pignoralis pro.....

pro recuperando uolumine — iiij. flor. viij. s.

pro recuperandis scagiali.... et anulo domini Iohannis — iiij. flor. viij.

6. V. ff. 95, 95', 100, 114'. Nullo alio loco in codice Petrarcae manus apparet.


quidem minus stupebis, si collegeris paruae auctoritatis illum scriptorem apud poetam fuisse. Nusquam sane, si modo diligenter perlegimus, in operibus editis nominatur, fere nusquam in scholiis manu scriptis. Liber quidem *De institutione saecularium lectionum* textu in breuius contracto in *Parisino 8500* apparet, picturis profecto mirabilibus insignis, nulla uero poetae notula ditatus¹. Id igitur peropportune cadit, quod multo secus res se habet in parte codicis *2923* ad Abaelardum nostrum pertinente.

Iam Petrarcam aliquid Abaelardi legisse suspexerunt, sed quae tanti uiri opera cognouerit incertum, et quo animo iudicauerit, dubium. Duobus solum locis in scriptoris Italici libris nomen Gallici philosophi profertur; nostroque iudicio Boccacium Petrarcae philosophica Abaelardi opera uel primoribus labris tetigisse temere affirmatur. Attilius quidem Hortis, uir optime de Petrarca meritis, collationem libri *De ignorantia* cum *Introductione in theologiam* instituere conatus est, et in utroque libro obseruauit M. Tullii loca selecta, ut aliquid doctrinae Christianae redolentia, fere eadem esse². Haec uero similitudo, quantacunque est aut apparet, nobis omnino fortuita uidetur. Petrarca enim tam longa et adsidua familiaritate a Cicerone educatus, libros omnes et omnia loca ad finem adiuuandum pertinentia facillime habebat in promptu. Praeterea sententia, quam ardentem tum peragebat, iam antea ab Augustino nonnullisque ecclesiasticis scriptoribus nec tantum a Paracleti abbate explicata erat; et a nullo recentiorum philosophorum Ciceroniana exempla mutuari Francisco opus erat, cum ipse tam summam et undique collectam de Tullianis rebus scientiam sibi parauerat.

Adnotandus nunc locus ille, quo Petrarca *Historiam calamitatum* Abaelardi nosse confitetur : « Iungam tot ueteribus unum
« recentiorem nec ualde semotum ab aetate nostra, quam recte
« nescio, sed apud quosdam, ut audio, suspectae fidei, at profecto
« non humilis ingenii, Petrum illum cui Abaelardi cognomen est,
« qui, ut in historia suarum calamitatum longa oratione ipse
« meminit, inuidiae cedens, solitudinis Trecensis abdita pene-

1. Codex *Par. 8500* (iam in *P. et l'Humanisme*, p. 169-172, demonstratus) nonnulla opera refert ad nostrum argumentum maxime spectantia : *Fulgentii lib. Mytholog. Enarrationes in Metam. Ouidii*, spuria quaedam Boetii et Aristotelis, etc.

2. Cf. *Archeografo Triestino*, noua series, t. VI, p. 142.



« trauit, etsi non sine magno undique studiosorum conuentu,
 « quos e multis urbibus sibi solitario discipulos doctrinae celebris
 « fama contraxerat, sine requie tamen optata, quam sibi radicitus
 « tenax liuor odiumque conuulserant¹. » Copiosiore[m] autem
 notitiam, ut iam ex rubricis suspicamur, codex noster affert.
 Solitis signis in margine apposis loca epistularum notabilia
 saepissime indicantur². Accedit exigua « manus » satis frequens
 calamoque delineata; quanquam autem « manus » illius formam
 refert, qua in nonnullis codicibus usus est poeta, iudicium tamen
 ab assensu certo sustinemus. Scholia complura, de quibus nulla
 dubitatio admittitur, potissime declarant quanti celeberrimas
 epistulas fecerit et qua benignitate legerit. Excerpta ergo loca ex
 editione Cousiniana referimus in conspectu adnotationum, ut
 legentis Francisci uestigia facilius tenere possis :

EPIST. I, PETRI AD AMICVM.

- | | |
|---|--|
| (F. 9'; t. I, p. 25). Ego itaque ad solitudinem
quandam, in Trecensi pago, mihi antea cogni-
tam me contuli. | <i>Solitudo</i> ³ . |
| (F. 9'; p. 26). Sed et ipse Plato, cum diues esset... | <i>Plato</i> . |
| (F. 11; p. 29). Saepe in orationibus meis illud
reuoluebam : A finibus terrae ad te clamaui,
dum anxiaretur cor meum. | <i>Efficaciter et pie</i> ⁴ . |
| (F. 12; p. 32). ...eis eunuchos adhibeant... | <i>Eunuchi</i> . |
| Sed quod tunc forte minus pertuli ex uul-
nere, nunc ex detractio[n]e diutius plector, et
plus ex detrimento famae quam ex corporis
crucior diminutione. | <i>Proprie</i> ⁵ . |
| (F. 13; p. 35). ...forte me die quadam, de nostra
lapsum equitatura, manus Domini uehementer
collisit, colli uidelicet mei canalem confringens. | <i>Et me nocte</i> ⁶ . |

1. *Vit. Sol.* II, 7, 1 (*Op.* 278).

2. F. 3, Petrarca egregiam correctionem litterae codicis adhibet (*egi pro ei*).

3. V. locum ex *Vit. sol.* in sermone nostro supra allatum.

4. Ultima huius capituli (I, 13) uerba, quibus de Heloysa agitur, singulari signo Franciscus notat.

5. In hoc capitulo (I, 14) nomina S. Hieronymi, Origenis et S. Augustini, a scriptore relata, Franciscus in marginem trahit.

6. Significat diem 23 februarii 1345, quo ipse Parmam fugiens equo decidente pro-
lapsus cecidit (KOERTING, p. 215).

EPIST. II, HELOYSAE¹ AD PETRVM.

(F. 15; p. 75). ... ut te tam corporis mei quam animi unicum possessorem ostenderem. Nihil unquam, Deus scit, in te nisi te requisivi, te pure, non tua concupiscens.

Valde predulciter ac blande per totum agis, Heloysa.

(F. 15'; p. 75). Sicut inductio illa Aspasiae philosophae apud Socraticum Aeschinem cum Xenophonte et uxore eius habita manifeste concuincit.

R. in libro M. Tullii Inuention².

(F. 15'; p. 76). Quis etenim regum aut philosophorum tuam exaequare famam poterat? quae te regio, aut ciuitas seu uilla uidere non aestuabat?...

De fama Petri, si modo testimonium non suspectum amor facit.

Et cum horum pars maxima carminum nostros decantaret amores, multis me regionibus breui tempore nuntiauit et multarum in me feminarum accendit inuidiam³.

Muliebriter.

(F. 15'; p. 77). Dic inquam... quod sentio, imo quod omnes suspicantur dicam: concupiscentia te mihi potius quam amicitia sociauit, libidinis ardor potius quam amor...

[Locum illum Heloysianae epistulae ceterosque, qui in pagina nostra sequuntur, signaculis frequentibus manu sua Petrarca notauit.]

(F. 16; p. 77). Ego autem, Deus scit, ad Vulcania loca te properantem praecedere uel sequi pro iussu tuo minime dubitarem. Non enim mecum animus meus, sed tecum erat. Sed et nunc maxime si tecum non est, nusquam est. Esse uero sine te nequaquam potest. Sed ut tecum bene sit, age, obsecro. Bene autem tecum fuerit, si te propitium inuenerit, si gratiam referas pro gratia, modica pro magnis, uerba pro rebus... Dum tecum carnali fruerer uoluptate, utrum id amore uel libidine agerem, incertum pluribus habebatur. Nunc autem finis indicat quo id inchoauerim principio.

Amicissime et eleganter.

1. *Heloysa* est optimi codicis scriptura, non *Heloyssa*, ut recentes editores uolunt.

2. Cf. *De inuent.* I, 31. — R., ut putamus, significat *Require*.

3. Eadem nec immerito de poetae nostri Laureae, Auenionensi muliere, dici poterant.

(F. 16; p. 78). Cum me ad temporales olim uoluptates expeteres, crebris me epistolis uisitabas, frequenti carmine tuam in ore omnium Heloysam ponebas; me plateae omnes, me domus singulae resonabant.

Feminee.

EPIST. V, PETRI AD HELOYSAM.

(F. 21'; p. 95). Pretiosus... cultus, quem... beatus Gregorius inde conuincit : « Quod nemo his in occulto se ornat, sed ubi conspici queat. »

Seneca prius.

(F. 22'; p. 96). Certum quippe tibi est quod quisquis ab hac uita me liberet, a maximis poenis eruet. Quas postea incurram incertum est, sed a quantis absoluar dubium non est.

Non ineleganter ais, Petre.

(F. 23; p. 98). Nunquid si id mihi iuste accidisset, tolerabilius ferres et minus te offenderet?...

Accedit Socratis responsum.

Tam iuste quam utiliter id monstrabimus nobis accidisse et rectius in coniugatos quam in fornicantes ultum Deum fuisse.

Vel iratus, uel ualde compunctus es, Petre.

(F. 24; p. 101). Si enim mihi antea matrimonio non esses copulata, facile in discessu meo a seculo, uel suggestione parentum, uel carnalium oblectatione uoluptatum, saeculo inhaesisses. Vide ergo quantum sollicitus nostri fuerit Dominus, quasi ad magnos aliquos nos reseruaret usus...

Itaque, ni fallor, et ualde misericorditer actum est, ut eo tecum nexu prius uoluntarie iuncta esset, quo post te demum uel inuita traheretur Heloysa tua, Petre.

Hic desinit adnotatio, quanquam in fine epistulae V et in VI manus Francisci etiam quandoque apparet¹. At quis iam non percipiat qua beneuolentia amantes Parisienses poeta noster acceperit? Iure enim illorum animorum tum fide diuina, tum humanis cupiditatibus flagrantium similitudinem cum suo ac proprio animaduenterat. Nimirum historia epistularum modo enarrata, tam flebilis peccatoque ac paenitentia intermixta, causa fuit cur

1. Ex. gr., agnoscit Franciscus, in media Abaelardi oratione uersus ex libro VIII Lucani. In epist. VI, Heloysa locum libri de *Arte amandi* referente, in margine scribit tantum V^s (= uersus).

codici nostro, semifoliis ad calcem adiectis, notulas secretissimas commiserit¹.

Superest ut epistulas a Berengario Pictauiensi, Abaelardi discipulo, in magistri defensionem conditas² a Petrarca perlectas esse patefaciamus³. Exstat in *Apologia contra Gallum* de illo scriptore locus, quo obtrectationes eius aduersus S. Bernardum affert Petrarca et Abaelardum iterum nominat, sed mediocri laude, quia, ut nobis uidetur, opusculum quasi bellatorium contra Gallos scribens, aduersario suo arma suppetere non uult⁴. Nihil autem aliud cognoscebat de philosophorum disputationibus saeculi XII, quam quod Parisinus codex refert. Insunt in Berengarii epistulis signacula, summaria, nomina in margine posita, quibus lectionem nota manus testari solet, et aliquae adnotatiunculae parui momenti, quae tamen, ut res planius fiat, proponendae sunt :

(F. 46; t. II, p. 788). Colotes loquacitate notabilis rodit Platonem principem philosophiae... Lucilius Ennius, Horatius Lucilium lacerat...

Solus Ambrosius ab omni suspicionis infamia liber est...

Unde Seneca, Caesarem alloquens : Caesar, inquit...

Simulationes illustrium scriptorum.

Magna laus Ambrosii.

Male huius rei memineras, Berengarii.

1. De Petrarcae « memorialibus » in excursu VI libri *P. et l'Humanisme* disseruimus et notulas edidimus.

2. De quibus uide, ut scis, *Hist. litt.*, t. XII, p. 254-60. Cum magistri operibus editae sunt, in ed. Ambrosiana, p. 302 sqq., in Cousiniana, t. II, p. 771 sqq.

3. Legit quoque particulam de Christiana philosophia (in ed. Cousiniana, t. II, p. 727-729, e libro incerto), non sine delectatione, ut probat adnotatiuncula in uerbis : « Cum sit Christus ipsa sapientia, quam Sophiam Graeci nominant, nullos rectius dici philosophos autumo, quam qui huius summae ac perfectae sapientiae amatores existunt; » Franciscus : *Recta philosophia* (f. 48).

4. Locum ad illustrationem codicis afferimus : « Non ego contra sanctum uirum [Bernardum] loqui uelim, eum maxime quem in quibusdam scriptis meis ualde aliquando laudauerim... Multa quidem loquendo et scribendo redeunt in animum, quae dilapsa uidentur. Damnauit iste, nunc recolo, Bernardus Clareuallensis abbas, de quo sermo est, Petrum Abaelardum litteratum quemdam uirum; hinc iratus Berengarius Pictauiensis, uir et ipse non infacundus ac discipulus Petri, contra Bernardum librum unum scripsit, non magni quidem corporis, sed ingentis acrimoniae : de quo postmodum a multis increpatus se excusat, quod adolescens scripsisset et quod sibi uiri sanctitas

In *Apologia* supra allata, Petrarca locos significat quibus ipse, etsi litterarum Gallicarum acerrimus detractor, Clareuallensem abbatem laudauerit. Quattuor sunt, si modo disquisitio nostra plenissima est. Primum legitur in libro II *De uita solitaria*, 3, 13 (cap. qui aperte inscribitur *De solitudine beati Bernardi*): « Quid Bernardum, cuius et recentiora et notiora sunt omnia... Illud egregium ac praeclarum dictum, et his quae inter manus habeo ualde consentaneum, non silebo : solebat enim dicere omnes se quas sciret litteras, quarum nescio an alius sua aetate copiosior fuerit, in siluis et in agris didicisse, non hominum disciplinis, sed meditando et orando, nec se ullos unquam magistros habuisse praeter quercus et fagos. Quod ideo libenter refero quia, si quid et mihi nosse datum esset, idem de me uere dicere uellem et, nisi fallor, possem¹. » Secundum locum est in libro II *De remediis utriusque fortunæ*, cap. 40, ubi Bernardi uerbum fere identidem commendatur². In libro I, *De uera sapientia* Bernardus citatur³; in *Fam.* VI, 6, honorifice inter Patres nominatur. Ex operis ergo relatione, in *Apologia* et in *De uera sapientia*, apparet Franciscum libros *De consideratione (ad Eugenium III)* tractauisse et forte in bibliotheca sua seruasse; de aliis uero abbalis operibus nihil est quod dicamus, cum illis profecto abstinuisse uideatur. At

nondum penitus nota esset. Horum certe neutrum mihi competit, nam nec de Bernardi sanctitate sum dubius et adolescens esse desii, sed illud dico, quod licet hodie procul dubio sanctus sit, fieri potest ut, dum ad Eugenium scripsit, nondum forsitan sanctus esset. Sanctitas enim, sicut omnis uirtus, non cum homine nascitur, sed studio quaeritur, et augetur et frequentatis actibus in habitum transit. Itaque mihi aliud assumo, quod in quadam excusatoria epistola ad episcopum Mimatensem Berengarius idem ait : « Nonne abbas homo est? nonne nobiscum nauigat per hoc mare magnum et spatiosum, inter reptilia quorum non est numerus? cuius nauis etsi prosperiori feratur « nauigatione, tamen serenitas maris in dubio est ». Ego uero Bernardi nauem portum iam tenere non ambigo, sed dum scriberet, haud dubie non tenebat; homo erat, et in carne positus passionibus subiacere poterat ». (*Op.* 1074).

1. *Op.* 263.

2. *Op.* 421. Mirum illud testimonium de S. Bernardi iuuenta frustra in operibus eius quaesiimus, nec mentionem de sententia ullam inuenimus apud illos qui res eius uitae composuerunt. Stat quidem in epistola Nicolai de Clemangiis (*Opera*, ed. Lydius, Lugd. Bat., 1613, *Ep.*, p. 20); sed e Petrarcae operibus emanare potest, a docto uiro Nicolao haud ignotis. Franciscus igitur memoriam ore traditam uidetur collegisse.

3. « Hinc Bernardus ad Eugenium... » *Op.* 325. Loca excerpit ex libro II, *De consideratione sui*, cap. 3 et 4, et ex libro IV, cap. 2 (*S. Bernardi uol. I*, ed. Mabillon, Parisiis, 1690, col. 417, 418, 435 sqq.).

saltem Bernardi, Abaelardi, ulliusue scholasticorum libros ex industria nullo modo quaesivit¹.

Plura testimonia ex codicibus etiamnunc repertis aut ex operibus a Francisco editis eruere uellemus, quibus litteris ecclesiasticis instructior et recentioribus libris ditior appareret. Sed nullius ex illustribus mediæ aevi scriptoribus, praeter eos qui in nostris opusculis memorantur, ne nomen quidem apud Petrarcam inuenire potuimus. Qua penuria, nisi nos fallit opinio, quanta fuerit pietas eius erga antiquitatis tum sacrae tum profanae scriptores ergaque ueterum litterarum monumenta clarius apparet.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d. XV Kal. dec.
anni MDCCCLXXXI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETVR,

Academiae Parisiensis rector,

GRÉARD.

1. Ut uere dicamus, scholasticos Italos multis laudibus extulit (v. supra, p. 34, n. 3), nunquam autem legit, cum Gallos aliquot lectione quadam et commemoratione persecutus sit.



APPENDIX

Epistula sequitur, quae duorum uirorum de Petrarca bene memoratorum et indagatorum ab utroque institutarum haud ingratam memoriam nonnullis legentibus afferat. Amicus egregius et in omni re litteraria promptus, prof. Vincentius Crescini, nobis exemplum communicauit.

(Ex apographo in Bibl. Seminarii Paduani, cod. 334 — miscell.)

Lettera dell' ab. Pierantonio Serassi al P. Antonio Evangelii C. R. S. Roma, 4 Feb^o 1777.

Sento con grandissimo piacere la bella e curiosa opera che V. R. ha presa a scrivere intorno a' monumenti del Petrarca che si trovano costì, il che mi è giunto affatto nuovo, non mi potendo immaginare che dopo quello che ne avean detto il Tommasini e l'Ab. de Sade, ci fosse più luogo a veruna importante scoperta. Nel rallegrarmi pertanto con Lei di così nobile sua intrapresa, debbo anche ringraziarla della cortese memoria che conserva di me e dell' onore che mi fa de' suoi graditissimi comandi. Io aveva già da molti anni esaminati tutti i testi a penna del Petrarca che si trovano nella Vaticana, e particolarmente que' due, che vengono creduti autografi; onde al solo vedere il saggio da Lei trasmessomi¹, mi sovvenne subito ch'era più somigliante alla scrittura del Codice 3195, stimato da alcuni originale, che a quella dei Frammenti, che sono indubitanamente di mano del Petrarca, e che formano il Codice Vaticano 3196. Volli però assicurarmi coll' esaminare di nuovo questi codici e confrontarli col carattere della scheda mandata, e posso dirle che il carattere della scheda ha pochissimo da fare con quello del codice de' Frammenti, nel quale però si veggono due maniere di scrittura, una rotonda e pulita, e che potrebbe aver qualche somiglianza col saggio trasmesso, e l'altra differentissima e brutta, e difficile a leggersi da chi non è ben pratico; e questa contiene i pentimenti e varie annotazioni scritteci posteriormente dall' autore currenti calamo, come gli andavan (*sic*) scrivendo. La scrittura poi del Codice 3195 è certamente somigliantissima a questo saggio, ma io non credo che quel codice sia di mano del Petrarca, bensì penso che potesse essere fatto scrivere dal Petrarca a un suo diligente copista, e che sia poi stato riputato

1. De epistula poetae manu scripta agitur, ad Ioannem de Dondis mandata (*Sen.* XII, 1), quae nunc etiam in bibliotheca Seminarii Paduani reuerenter asservatur. (*V. P. et UHum.*, p. 95, n. 2).

originale, perchè venuto a drittura dalle mani dell' Autore. Esso è in pergamena in foglio, ed è di un carattere nitidissimo, che si può chiamare lo stampatello di que' tempi; il suo titolo è questo *Francisci Petrarce Laureat. poete rerum uulgarium fragmenta*.¹ V'è tutto il Canzoniere eccetto i Trionfi. Il Tommasini lo dà per originale, e per tale fu pur citato dagli Accademici della Crusca nella risposta che diedero al Menagio e a Giovanni Cappellano sopra una loro quistione intorno al vero senso di un passo del poeta (Menag. Mesc. pag. 40 ediz. Rot.²) dicendo: «Ma quando tutte le ragioni fin qui addotte non fossero sufficienti a provar questo vero, che lo crediamo sufficientissimo per convincere tale essere stato il pensiero del Petrarca, il testo a penna originale di mano dell' autore che si conserva nella Libreria Vaticana al n° 3195, nel quale si legge, etc.» Ma, come dissi, essendo la scrittura di questo codice dissimile affatto da quella de' Frammenti sicuramente autografi, stimo che siasi ingannato chiunque ha creduto il detto codice di mano del poeta. La lettera dunque ms. del Petrarca a Giovanni Dondi può bensì riputarsi originale, come scritta da un amanuense dell' autore, e forse da quel medesimo che scrisse il Codice 3195, ma non più autografa per le ragioni dette di sopra³.

Dovendo poi Ella far menzione di varj testi a penna del poeta, credo che non Le possa esser discara la notizia, che nella Vaticana medesima v'è il Canzoniere del Petrarca tutto di mano del Bembo, che per suo esercizio, copiò in un grosso volume in foglio tutto Dante e tutto il Petrarca. Il Codice è segnato n° 3197, nel cui fine si leggono le parole seguenti: *Finitus in Recano rure Herculis Strozze mei Sept. Kal. Aug. MDII*. Questo Recano è una Villa del Ferrarese sulla sinistra del Po di Lombardia, ne' confini col Polesina di Rovigo⁴.

Quanto al Breviario del Poeta portato già a Roma dal Can^{co} Sanbonifacio, e dopo la di lui morte acquistato da Gregorio Montagnana, io non ho potuto ritrovarne veruna traccia, onde non saprei che Le dire su tale proposito. Ho bensì avuto copia di un Breve di Gregorio XI, molto onorevole alla memoria del nostro Poeta⁵, quale penso che potrà riuscire di qualche ornamento al suo trattato, di che Ella ne dovrà saper grado all' eruditissimo sig. ab. Gaetano Marini uno degli Archivisti Vaticani che gentil-

1. De codice et inscriptione, cf. *Le Canz. autographe de P.*, Parisiis, 1886. Duobus manibus, ut scis, confectus est.

2. Aegidius Menagius, *Mescolanzæ*, ed. Roterod., 1692. Notabile testimonium de codice sequitur.

3. Errat tota uia in duobus scriptor, ut nunc ab omnibus compertum est.

4. Cf. *La Biblioth. de F. Orsini*, p. 308.

5. Instrumentum illud, de quo parum diligenter uerbum fecit Gaetanus MARINI, *Archiatri*, t. II, p. 21, editum reperitur apud EHRLE, *Hist. biblioth. Rom. pontificum*, t. I, p. 143.

mente me ne ha fatto parte, sentendo da me la idea della sua opera. Rileverà da questo Breve la stima che quel gran Pontefice faceva degli scritti del Petrarca; il che viene a render anche maggiormente plausibile la cura che V. R. ha preso d'illustrarli. E qui pregandola a continuarmi l'onore della sua erudita corrispondenza, e di recare i miei più affettuosi saluti al nostro dottissimo P. D. Alessandro Barca, che amo e stimo quanto ben merita la sua molta virtù e la sua leale e dolcissima gentilezza, mi do il contento di rassegnarmi con pienissima stima...

P. S. Ho poi veduto in Casa Borghese il Breviario del Petrarca. Esso è scritto in pergamena con qualche miniatura di lettera antica in un quarto piccolo, ed è molto usato. Nel riguardo vi si leggono queste parole: *Relictum fuit per Dominum Franciscum Petrarcham quondam canonicum Paduanum Sacristie Maiori Cat. Paduane* = La prima pagina comincia così: *In noē Dñi. Incipit ordo breuiarii secundum ordinem et consuetudinem Romane curie: In primo sabato de Aduentu: ad uesp. cap.*

INDEX NOMINVM

- | | |
|---|----------------------------------|
| Abaelardus, 35-41. | Cambyses, 27. |
| Abraham, 27. | Carolus Magnus, 33. |
| Aegidius Romanus, 34. | Cassiodorus, 36-37. |
| Alanus ab Insulis, 34. | Cato Uticensis, 15. |
| Alcuinus, 33. | Celestinus IV, 32. |
| Alexander Magnus, 21, 27. | Cicero, 11, 15, 16, 20, 37, 39. |
| Alexander III, papa, 32, 36. | Cinthius, cantor Turonensis, 14. |
| Ambrosius (S.), 10, 11, 18-20, 25, 41. | Clemangiis (N. de), 42. |
| Antonius (S.), 10, 23. | Clemens papa (S.), 11, 21, 22. |
| Athanasius (S.), 10, 23. | Clemens VI, 15. |
| Augustinus (S.), 10-20, 23, 28, 30, 37, 38. | Colotes, 41. |
| Apenningena, Albanzanus, 12. | Columna (Iac. de), 12, 22. |
| Apio, 26-28. | Cyprianus (S.), 24. |
| Aristoteles, 37. | Dantes Allegherius, 34. |
| Aspasia, 39. | Dauid, 10, 16. |
| Barnabas (S.), 22. | Dionysius de Burgo S. Sep., 12. |
| Basilus (S.), 10, 11. | Dondis (Ioannes de), 44, 45. |
| Beda, 29. | Ebrardus Bethuniensis, 30. |
| Berengarius Pictauiensis, 35, 41. | Eginhardus, 33. |
| Bernardus (S.), 36, 41, 42. | Ennius, 41. |
| Berosius, 28. | Eugenius III, 42. |
| Boccacius, 17, 24, 37. | Eusebius, 11, 21. |
| Boetius, 37. | Firminus Maternus, 20. |
| Bonaventura (S.), 34. | Florus, 15. |
| Boso (card.), 32. | Forensis Donatus, 31. |
| Braulio, 30. | Fredericus II, 32. |
| Brunus (Fr.), 18. | Fulbertus Carnutensis, 21, 34. |

- Fulgentius, 37.
 Giraldus Cambrensis, 33.
 Gregorius Magnus (S.), 10, 21, 23.
 Gregorius Nazianzenus (S.), 11.
 Gregorius IX, 32.
 Gregorius XI, 46.
 Gualtherus ab Insulis, 34.
 Hegesippus, 25.
 Heloysa, 35, 38-40.
 Henricus VI, 32.
 Herodes, 25.
 Herodotus, 27.
 Hieronymus (S.), 10, 11, 15, 20, 21, 24,
 31, 38.
 Hilarion (S.), 24.
 Hilarius Arelatensis (S.), 24.
 Hilarius Pictauensis (S.), 24.
 Horatius, 41.
 Hugo de Sancto Victore, 22, 34.
 Hugo Falcaudus, 32.
 Huguccio Pisanus, 31.
 Innocens III, 32.
 Innocens IV, 32.
 Ioannes ab Alta Villa, 34.
 Ioannes Aegyptius (S.), 24.
 Ioannes Chrysostomus (S.), 10, 13.
 Ioannes Genuensis, 31.
 Ioseph, 26.
 Iosephus (Flavius), 25-28.
 Isidorus Hispalensis (S.), 29-30.
 Lactantius, 24.
 Laurea, 39.
 Lauro (Robertus de), 32.
 Leo papa (S.), 24.
 Liuius (T.), 22.
 Lucanus, 30, 40.
 Lucas Geminiani, 35.
 Lucilius, 41.
 Lupatus de Lupatis, 34.
 Macrobius, 16.
 Manetho, 28.
 Marsilius (Lud.), 12, 13.
 Martinus Turonensis (S.), 23, 24.
 Moyses, 26, 27.
 Musatus (Albertinus), 33.
 Nellius (Fr.), 10, 28, 31.
 Norbertus (S.), 36.
 Origenes, 24, 38.
 Orosius, 24.
 Palladius, 18.
 Paulus apostolus (S.), 10, 18, 19.
 Paulus eremita (S.), 24.
 Petrarca (Gerardus), 12, 29.
 Petrus apostolus (S.), 22.
 Petrus Damianus (S.), 11.
 Petrus Lombardus, 34.
 Plato, 11, 38, 41.
 Plinius, 30, 31.
 Pythagoras, 27.
 Quintilianus, 18.
 Remigius Autissiodurensis, 34.
 Rentius, Rienzi, 15.
 Ricardus de Sancto Victore, 35.
 Rogerius, rex Siciliae, 32.
 Sallustius, 20.
 Satyrus, 19.
 Seneca, 20, 40, 41.
 Serico (Lombardus a), 25.
 Seruius, 30.
 Socrates, 40.
 Spartacus, 15.
 Stephanus V, 32.
 Stephanus Tornacensis, 36.
 Sulpicius Seuerus, 23, 24.
 Superantius seu Superanus (R.), 22.
 Tertullianus, 24.
 Theodoricus, 35, 36.
 Thomas de Aquino (S.), 34.
 Thucydides, 27.
 Varro, 15.
 Vergilius Maro, 20, 25, 27, 30.
 Xenopho, 39.



de - De Patrum et Medii Aevi
rum codicibus in Bibliotheca
eae olim collectis # 6582

148

Manuscript

6582.

